
MARGARITA
THEOLOGICA
CONTINENS PRAECIPV-
os locos doctrinæ Christianæ per quæ-
stiones breuiter & ordine explica-
tos. Omnibus pastoribus, verbi
præconibus, & Ecclesiæ
ministris neces-
saria.

*AVTORE IOAN. SPAN-
genbergio, Herdessiano, apud Nor-
thusanos verbi mi-
nistro.*

LONDINI,
Apud Henricum Bynneman.


ANNO. 1570.



AD DOMINICI gregis pastores, Ioannes Spangenbergius. Hexasticon.

Quisquis es ad Christi sanctum delectus ouile,
Pastorisq; boni nobile nomen habes,
Huc ades, hic veram pascendi tradimus artem,
Et quae Christigenis pascua danda viris.
Quisquis es & Christi pastoris de grege, non est
Quòd metuas rabidi dogmata falsa lupi.
Non hic offendes lolium, nec pabula Circes,
Non hic humani spurca venena luti,
Sed verum Christi verbum sacrataq; patrum,
Et quae sunt sacris eruta scripta libris.
Hac dedit egregius syncero corde Melanthon,
Consule communes, Pastor amice, locos.





ILLVSTRISSIMO Principi & domino D. Philippo, Duci Brunsuicensi. &c. Domino suo clementissimo

Salutem.



FFLAGITARVNT iamdudum (Clarissime Princeps) quidam ex tuæ celsitudinis ditione verbi diuini præcones, vt ad subscriptas quæstiones præcipuæ theologicæ disciplinæ capita continentes, breuissimè, idque ex solidis scripturis responderem, quò sacrarum literarum cultores, nunc primùm sacris initiati, & in pastorũ gregem adscripti, haberent breuem quandam sui officij formulam, quomodo scilicet pabulo salubriori commissum sibi gregem Dominicum pascere & curare possent. Quæ res, tametsi difficilis fuerit & laboriosa, præsertim homini alioqui occupatissimo, nolui tamen me ab humanitate tam alienum præstare, vt tot & tantis amicis rogantibus, pigeret vel vnius anni, ne dicam mensis, subire laborem, præsertim cum possem hoc quantulocunque labore iuuare studia, promouere pietatem, & patriæ quoque ingens ornamentum adferre. Si enim munus honestum est & pium, bonis literis iuuentutem

 instituere,

instituere, quis dubitat multò honestius & felicius esse pastoris officium, in quo nedum pueri, sed & omnium ætatum homines ad Christi gloriam perducuntur? Vbi autem diu mecum disputassem, cum, cuius iudicium & eruditionem in hoc negotio potissimùm amplecterer, succurrebat vnicum huius nostri seculi decus, D. Philippus Melanthon, qui in hanc rem Locos communes tanto spiritu congessit, vt proculdubiò omnes, qui in concionatorum numerum sunt vocati, deinceps præter negotium rectiùs & maiori fruge sunt declamaturi. Huius igitur verba, vtpote ex omni parte absolutissima, ne post Homerum Iliada canere videar, lubens adscripsi: Si quid ea in re peccatum est, spero mihi ab autore veniam dari, qnandò id non iniquo animo, sed iuuandæ pietatis studio sit factum. Vtinam omnes qui nunc ab alto pulpito declamant, mordicus eius autoris verba & sententias teneant, fortassis in maiori tranquillitate fuerint res ecclesiæ. Videmus enim passim in Academijs, Collegijs, & Monasterijs multos esse, qui hoc veræ pietatis studium damnant, huic sancto religionis negotio obstrepunt, quos oportuit, vtpote qui se capita & columnas Ecclesiæ gloriantur, in prima acie stetisse: hi nullum non mouent lapidem, vt pietatem passim reflorescentem opprimant, & eos qui hanc in vulgus spargunt,

penitus

penitus è medio tollant. Contrà videmus pietati & rectis studijs nusquã plus honoris, plus præmij, plus dignitatis esse, quàm apud Principes. Sic enim sunt (laus deo) aulæ quorundam principum, vt præ his, ipsæ etiam scholæ & Episcoporum curiæ frigeant. Quando igitur tua Celsitudo, princeps clarissime, non tantùm principum, sed regum quoque sanguine orta, inclytos à Domino Deo accepit Regulos, optimi patris optimos filios, pietatis & veræ sapientiæ studiosos, dignum iudicaui, tuæ Celsitudini hanc lucubratiunculam, qualisqualis est, dedicare, vt tuæ celsitudinis pastores, à quibus in hanc palæstram prouocatus sum, per tuam celsitudinem habeant, quo se oblectent & exerceant. Delectentur alij spinosis & sophisticis argutijs, tuæ celsitudinis pastores antiquam illam, genuinam, atque veram theologiam apprehendant. Tum fiet, vt omnigenam christianæ pietatis doctrinam planè assequamur. Sinant alios interim aucupari sacerdotia, præbendulas, & vt vocant, beneficia, impietatis irritamenta: sinant alios ambire opes, voluptates, & noctes diesque agere in culcitris: tuæ celsitudinis pastores dent operam, vt plantent, vt irrigent, vt ædificent Ecclesiam Dei: tum speramus fore, vt tandem emicet, ac vincat veritas. Hi verò, qui nunc suis sycophantijs pietatis doctrinam inficiunt, & pseudodo-

ctrinis

ctrinis conſcientias illaqueant, dabunt certò pœnas. Nos interim precemur illis mentem meliorem dari, ne ſemper, quod hactenus faciunt, viuant *atheoi*. Tua celſitudo, hoc quicquid eſt laboris, boni conſulat. Quam deus optimus maximus nobis diu ſeruet incolumem. Datum Northuſiæ, in Ferijs natalitijs Chriſti. Anno. M.D.XL.

Tuæ C. dedititiſſimus
Ioan. Spangenberg.



QVID EST PASTOR ECCLESIÆ?



ST persona legitimè vocata, authoritate & mandato diuino, ad curam animarum sibi commissi gregis: vt tradat doctrinam Euangelij & administret sacramenta.

Quod est officium Pastoris?

Est fideliter gubernare sibi commissam ecclesiam ministerio verbi & Sacramentorum, & arcere falsam doctrinam, & scandala.

De hoc officio præcipit Paulus. Act. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo posuit vos spiritus sanctus, vt pascatis ecclesiam dei. &c.

Quid requiritur in Pastore, vt sit idoneus?

Primò, vt habeat vocationem & mandatum.

Secundò, vt sit rectè institutus in doctrina Euangelij, & teneat certam formam Christianæ doctrinæ ex scriptura sacra, vt eam purè, propriè & perspicuè tradere possit. Sic vt Paulus præcipit, Episcopum debere esse didacticum, id est, idoneum ad docendum: & Timotheum iubet tenere hypotyposin, *seu formam sanæ doctrinæ.*

Tertiò, vt in docendo adhibeat fidē, & prudentiam, ac norit, iuxta præceptū Pauli, rectè secare doctrinā pietatis, & vt in tradenda doctrina prudenter

denter ostendat discrimina & fines inter Euangelium & alias doctrinas, & erudité sciat confirmare articulos & capita doctrinæ, & refellere falsas opiniones & dogmata, quæ habent aliquid impuri collata ad verbum dei. Item, vt in gubernando & regendis conscientijs, adhibeat prudentiam & curam, vt rudes instituantur, vt doceat, & euoluat ex erroribus ambigentes & perplexos, cõfirmet imbecilliorees, vt corrigat & reuocet errantes, vt peccantes arguat & castiget, vt perterrefactos & afflictos consoletur. &c.

Quartò, vt vita & exemplo fidei ac bonorum operum præeat populo. Sic vt Paulus præcipit Timotheo: Esto typus fidelium, &c. Et Petrus: Fiatis typi seu forma gregi.

Quæ est legitima vocatio?

Est autoritate & mandato dei aliquem adhiberi ad ministerium.

Quomodo fit vocatio?

Duplex est modus vocationis.

Quædam fit immediatè à deo. Hæc est propriè Prophetica & Apostolica. De qua ait Paulus, se nec ab hominibus, neq; per homines vocatũ esse.

Alia fit adeo, seu mandato diuino, sed per homines, sicut erant quos scriptura vocat filias Prophetarũ, hoc est, discipulos, qui à Prophetis instituebantur, vt & ipsi idonei essent ad docendum. Ita ab Apostolis constituti sunt Episcopi & Pastores

ſtores eccleſiarum, & poſtea ab eccleſia eliguntur & ordinantur miniſtri. Eſt ergo & hæc legitima vocatio & verè diuina, cùm de autoritate eccleſiæ, aut eorum quibus eccleſia cõmittit iudicium, commendatur alicui miniſterium:

Eſt ne licitum petere miniſterium?

Reſpondeo, intereſt inter petitionem & ambitionem. Nam ambitio ſimpliciter prohibita eſt.

Quid eſt petitio?

Eſt deferre ſuam operam eccleſiæ, ſic tamen vt relinquas liberum iudicium, an ſis idoneus, ijs, ad quos pertinet cognitio. Ergo qui ſic petit, non ambit. ſed tantum ſignificat ſuam voluntatem: quòd ſi ab eccleſia vocetur & iudicetur idoneus, nõ recuſet ſuſcipere labores & pericula, quæ ſunt in miniſterio. Econtrà, ambitio eſt, cum aut per arrogantiam, aut alia cupiditate, aut propter ventrem tantùm ſeſe aliquis ingerit, non expectans iudicium, nec volens periclitari. Sed pugnat pecunia & alijs artibus. Sed vera petitio, quæ fit ſine ambitione, laudanda eſt, & ad eã inuitandi ſunt pij. Multum enim habet boni. Primùm quòd expedit multos eſſe qui inſtituantur ad miniſteriũ, vt eorum poſſit eſſe vſus in Eccleſia. Deinde expetit multos eſſe qui petant, vt eccleſia norit voluntatem eligendorum, & poſſit habere delectum.

Tertio, in hoc ipſo virtus eſt modeſtia, quòd qui petunt, ſubmittunt ſeſe iudicio eccleſiæ, & periclitantur

tantur

tantur de sua existimatione. Postremò, hoc ipsum acuit diligentiam & studium in petituris, vt maiore cura præparent se ad ministerium.

Quo testimonio probas, quòd sit licitum sic petere ministerium.

Paulus. 1. Timoth. 3. inquit: Si quis Episcopatũ expetit, bonũ opus desiderat. Item. 1. Cor. 14. Appetite spiritualia, magis autem vt prophetetis.

Quid debet propositum esse susceptruro ministerium?

Primùm, dignitas & amplitudo ministerij: est enim summa functio, & summũ ministerium, quo nullum magis excogitari potest, adeoq́ propriè diuinum. Ideo Paulus id ornat summis præconijs: vocat eos qui docent Euangelium, dei ministros, item dei cooperarios, & adiutores. &c. Debetur ergo huic ministerio summa reuerentia, & maxima religione ac studio decet ad id accedere.

Secundò, considerari debet voluntas & mandatum dei, quia deus reposcet rationem pro animabus, & horribiles pœnas minatur ijs, qui non fideliter faciũt suum officiũ, sic vt sæpe docet scriptura. Ezech. 33. Et Christo in parabolis, de seruo nequam. &c.

Tertiò, promissiones præmiorum, quia Deus pollicetur ingentia præmia ijs, qui fideliter præsũt ministerio, sustinent labores, odia & pericula propter ministerium, sicut inquit Christus: beatus est

seruus

seruus ille, quoniam super omnia constituet eum Dominus suus. Et Petrus: Recipietis coronam gloriæ immarcescibilem.

Quæ est summa doctrinæ Christianæ, tradendæ in Ecclesia?

Hanc aptissimè complexus est Christus, Lucæ vltimo, cûm inquit: Ite prædicantes in nomine meo pœnitentiam & remissionem peccatorem.

Est ergo summa ministerij Ecclesiæ in hoc, vt doceatur pænitentia & remissio peccatorum.

Quæ est partitio summaria totius scripturæ?

Eædem duæ sunt partes. Est enim aut doctrina præcipiēs quid sit faciendum, & arguens peccata. Aut est doctrina de remissione peccatorum. Hæ duæ partes vocantur Lex & Euangelium.

DE LEGE.

Quid est Lex.

EST doctrina præcipiens, quales nos esse, quæ facere, quæ omittere oporteat.

Quotuplex est Lex?

Prima diuisio, Leges aliæ sunt diuinæ, aliæ hu-(mana.

Quid est Lex diuina?

Quæ instituta est à deo, & præcipit non tantùm de externis actionibus, sed requirit etiam interiores motus cordis, adeoq; perfectam obedientiā erga deum, & damnat eos, qui illam non præstant,

Quid

Quid est lex húmana?

Quæ instituitur humano arbitrio, & præcipit de externis actionibus & officiys.

Alia diuisio.

Legum aliæ sunt naturales, aliæ positiuæ:
Hinc vulgò recensentur tres species:
Lex naturæ, Lex diuina Mosi, Lex humana.

Quid est lex naturæ?

Est notitia legis diuinæ, naturæ hominis à deo impressa, qua intelligit esse deum, esse conditorem & gubernatorem, bonum & iustum esse, benefacere iustis & punire iniustos, & ei deberi obedientiam. Item, colendam esse societatem humanã, parentibus esse obediendum, homines diligendos, iuuandos, neminẽ lædendum. Iuxta illud: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

Quæ est lex diuina?

Hanc vocamus legem traditam per Mosen.

Quotuplices sunt leges Mosaicæ?

Triplices. Morales, Iudiciales, Ceremoniales.

Quid est lex moralis?

Est doctrina præcipiens de perfecta obedientia erga Deum, seu de vita & bonis operibus erga Deum, & omnes homines.

Vbi traditur lex moralis?

Breuis & perfecta descriptio continetur in decem præceptis propositis populo Israëlitico per Mosen,

quæ

quæ vocamus decalogum.

Quid intereſt inter legem naturæ & legem moralem, ſeu decalogum?

Leges naturæ verè ſunt leges diuinæ, & planè eædem, quæ in Decalogo, hoc eſt, in ſcripta Lege morali continentur.

Quare igitur tradita eſt Lex Moſi, cùm antea eſſet Lex naturæ?

Etſi illud lumen, & illæ notitiæ inditæ menti hominis ante lapſum, in natura nõdum corrupta, erant certæ & integræ, & habebant firmum aſſenſum, tamen poſtea valdè obſcuratæ ſunt vitio originis: & eſt infirmus aſſenſus, ſæpe etiam excutiuntur dubitatione, & propemodum obliterãtur. Ideo deus addidit legem ſcriptam, vt lex naturæ voce diuina renouata, clarior et illuſtrior redderetur. Simul etiam vt extaret teſtimonium verbi dei, quòd hæc notitia naturalis ſit lex dei.

Quomodo poſſunt diſtribui leges naturæ?

Decalogus eſt aptiſſima methodus omniũ legum naturalium, adeoq; ipſa diſtributio et explicatio legũ naturæ. Non igitur poteſt inueniri aptior diſtributio, quã explicatis ordine præceptis decalogi.

Obligat ne Decalogus omnes homines?

Etſi lex Moſi eſt abrogata, nec obligat gentes, tamẽ quia Decalogus nihil aliud eſt, quàm renouatio

lutio & explicatio legis naturæ, ideo manet Decalogus, & obligat omnes homines. Non quia à Mose traditus est, sed quia est interpres illius æternæ voluntatis Dei, quæ est ipsa lex naturæ.

Quæ est partitio Decalogi?

Duæ sunt tabulæ. Prior continet præcepta de vita spirituali, quales esse debeamus erga Deum, seu de iis operibus, quibus propriè agimus cum Deo, & describunt verum ac proprium cultum Dei.

Secunda, continet præcepta de vita politica inter homines, quales debeamus esse erga proximum.

RECITA DECALOGVM.

I. Non habebis Deos alienos coram me.

II. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

III. Memento vt diem Sabbati sanctifices.

IIII. Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.

V Non occides.

VI. Non mœchaberis.

VII Non furtum facies.

VIII. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

IX. Non concupisces domum proximi tui.

X. Non desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Quæ

Quæ præcipiunt hæc mandata Decalogi?

Primum *præcipit cultum Dei internum, scilicet verum & perfectum timorem, veram & perfectam fiduciam, perfectam dilectionem Dei.*

Secundum *præcipit cultum exteriorem, vsum nominis Dei, Nempe inuocationem, gratiarum actionem, prædicationem verbi Dei, & confessionem. Hæc sunt sacrificia laudis.*

Tertium *præcipit ministeriū verbi sanctè colēdū, & ceremonias diuinitùs datas, propter ministeriū conseruādas esse, vt aliqua tēpora audiendo verbo, & per ceremonias exercendo tribuamus.*

Quartum *præcipit obedientiam erga parentes & magistratus, & complectitur hoc præceptum summas virtutes, scilicet diligentiam in parendo, seruire vocationi modestiam pietatem erga parētes, erga Rempublicam, & similes virtutes.*

Quintum *præcipit neminem lædere prohibet vindictæ cupiditatem, odia, inuidentiam, & similes affectus, & complectitur multas virtutes, videlicet, Iustitiam, mansuetudinem, constantiam, patientiam, clementiam.*

Sextum *approbat coniugiū, & prohibet abstinere ab aliena. Complectitur virtutes, castitatē temperantiam, continentiam, sobrietatem, & similes.*

Septimum *munit rerum proprietates, iubetq́; abstinere à rebus alienis. Complectitur parsimoniam, liberalitatem, sedulitatem & diligentiam.*

Octauum *munit iudicia, requirit veritatem pactorum et testimoniorum.*

Nonum & decimum, *addit declarationem reliquis praeceptis, quòd non solùm externa facta, sed etiam mali affectus prohibeantur, et quòd accusetur concupiscentia.*

Quæ sunt leges Mosaicæ iudiciales siue forenses?

Quæ præcipiũt de ritibus coniugiorũ, de successionibus, de pœnis delictorũ et similib. rebus forensibus. Hæc ad christianos non pertinẽt, nisi si qua in illis sunt naturales, vt cum prohibentur cognatorũ et certorum affiniũ connubia: reuerentia enim sãguinis debet obseruari ab omnibus gentib. et omnibus seculis. Nam et Chananæi deleti sunt propter incestas libidines, quòd duxissent cognatas.

Quæ sunt leges ceremoniales?

Quæ præcipiunt de templo et ritibus sacrorũ, qui ritus Iudæos separant à gentibus. Ab his legibus Christiani sunt liberi. Hoc tamen vult Deus, vt aliquo tempore ceremonias diuinitus traditas vsurpemus, et ad ministerium verbi conueniamus, nulla enim res magis necessaria est, quàm ministerium verbi dei.

Quis est effectus legis diuinæ, & quot sunt eius officia?

Tria. Primũ, Lex coercet omnes homines disciplina quadam. Hinc Paulus ait: Lex est iniustis

posita. Et rursus: Lex est pedagogus in Christum. Ad hanc disciplinam ordinauit deus magistratũ, legis doctrinam, pœnas, calamitates humanas. &c

Secundum, ostendit peccata, accusat, perterrefacit, & damnat conscientias. Hinc Paulus ait: Per Legẽ agnitio peccati. Item: Lex irã operatur. Itẽ: Per Legem peccatũ fit excellenter reũ. Item: aculeus mortis, peccatum: virtus autem peccati, lex.

Tertium, docet quænam opera placeant deo, & præcipit certa opera, in quibus obedientiam erga Deum exerceamus. Nam etsi liberi sumus à lege quod ad iustificationem attinet, tamen quod ad obedientiam manet lex: nam iustificatos necesse est obedire deo.

Potest ne homo suis viribus legem Dei præstare?

Nihil minus. Non satis fit legi diuinæ per opera nostra exteriora, vt Scholastici docent, nec etiam per conatum interiorem voluntatis, sine fide & spiritu sancto. Sed Christus est consummatio Legis, hoc est, sine Christo nihil potest.

Potest ne homo iustificari per Legem?

Minimè. Paulus enim detrahit Legi iustificationem in hac corrupta natura, quia nemo naturæ viribus legi satisfacit. Qui ergo non sunt reconciliati fide, etiamsi aliqua legis opera faciunt, tamen non possunt deo placere, semper enim accusantur à lege, & manent in dubitatione et desperatione.

Cur ergo traditæ ſunt leges Moſaicæ, ſi non iuſtificant?

Ideo tradita ſunt, vt diſcernerent Iſraelitas à reliquis gentibus, vſq; ad prædicationem Chriſti. Voluit enim Deus ſegregare hunc populum à cæteris gentibus, vt certus aliquis populus eſſet, in quo naſceretur Chriſtus, & in quo conſeruarẽtur promiſsiones, & extarẽt certa teſtimonia de verbo Dei, ideo etiam tantis miraculis populus iſte eductus eſt ex Ægypto. Quanquam igitur Iſraëlitæ non merebantur remiſsionem peccatorũ corã deo, propter has leges, tamen Deus ſubiecit eos iſtis legibus, tanquam Pædagogo, vt Paulus ait. Conſequebantur autẽ remiſsionem peccatorum, fiducia miſericordiæ Dei promiſſæ, propter venturũ Chriſtum, quem Euangelium nunc veniſſe prædicat.

DE EVANGELIO.

Quid eſt Euangelium?

EST prædicatio pœnitentiæ, & promiſsio remiſsionis peccatorum & iuſtificationis, quam ratio non tenet naturaliter, ſed reuelata diuinitùs, in qua deus pollicetur propter Chriſtum filium ſuum remittere peccata, et nos pronunciat iuſtos, id eſt, acceptos, et donat ſpiritum ſanctum et vitam æternam, modò vt credamus hæc nobis propter Chriſtum certò contingere.

Quod est discrimen inter Legem & Euangelium?

Lex requirit perfectam obedientiam, verum dei timorem, fiduciam veram, terret corda & conscientias, non remittit gratis peccata, non pronunciat iustos, hoc est, deo acceptos, nisi Legi satisfactum sit. Et quanquam habet promissiones, tamen hæc requirunt conditionem impletæ Legis, videlicet: Qui fecerit hæc, viuet in eis: Item: Hoc fac, & viues. Euangelium verò est concio de pœnitentia, continens promissiones beneficij Christi. Consolatur corda perterrita, remittit gratis peccata, & pronunciat nos iustos, etiamsi Legi nō satisfacimus.

DE PROMISSIONIBVS.

Quotuplices sunt promissiones Scripturæ sanctæ?

Duplices. Quædam sunt additæ Legi, & habent conditionem Legis, hoc est, exhibentur propter impletionem Legis. Quædam non habent conditionem Legis, tanquam causam, hoc est, non promittunt remissionem peccatorum, propter impletam Legem, sed gratis propter Christum, vt sunt promissiones Euangelij.

Quæ fuit prima promissio Euangelij?

Cùm post lapsū Adæ deus dixit ad serpentem: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius, ipsum conteret caput

tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius. Hac promissione et consolatione erigitur Adam, agnoscit se habere deum propitium, licet videat se indignum et immundum. Hac promissio postea renouabatur Abraha, deinde et Isaac et Iacob. Huic promissioni crediderunt, et licet se indignos agnouerũt, tamen statuerunt se habere deum placatum propter ipsius misericordiam, et promissum semen. Sunt præterea in Psalmis et Prophetis multæ conciones de Christo, de remissione peccatorum, de vita æterna quæ omnes huc tendunt, vt erigant et consolentur nos in nostra lucta et dubitatione, et doceant nos confidere, eum verè inuocare et colere.

Est ne promissio Euangelij vniuersalis?

Imò, sicut promissio Euangelij est gratuita, sic etiam est vniuersalis, hoc est, offert et promittit omnibus hominibus reconciliationem: Sicut enim prædicatio pœnitentiæ vniuersalis est, ita & prædicatio remissionis peccatorũ vniuersalis est. Hinc Christus ait Ioan. 3. Sic deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitũ daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat. Sic Paulus Rom 11. Conclusit Deus omnes sub peccatũ, vt omnibus misereatur. Quòd autem non omnes consequantur Euangelij promissa, eò fit, quia non omnes credunt. Euangelium enim etsi gratis promittit, tamẽ fidem requirit, oportet enim fide promissionẽ accipi. Particula autem gratis, non excludit fidem, sed conditionem

nostræ

nostræ dignitatis, & postulat ut promissionem accipiamus, id aliter fieri non potest, nisi fide.

Quod est opus Euangelij?

Consolari anxias conscientias, & promittere credentibus remissionē peccatorū, & vitam æternam.

Quæ est summa Euangelij?

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Marci. 16. Item, credere Iesum Christum esse agnum dei, tollentem peccata mundi. Ioan. 1.

DE PECCATO.

Quid est peccatum?

E*ST non tantùm aliquod factum, sed etiam perpetuum vitium, id est, corruptio naturæ, pugnans contra legem dei.*

Quæ sunt causæ peccati?

Voluntas diaboli & voluntas hominis, nō deus. Genesis. 1. Vidit deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et Psal. 5. Non deus volens iniquitatem tu es. Christus vocat diabolum, patrem mendacij. Et Rom. 5. Per hominem intrauit peccatum in mundum. Et 1. Ioan. 2. Concupiscentia carnis nō est ex patre, sed ex mundo.

Si deus non est causa peccati, concedendáne est Contingentia?

Imò, peccatum non est necessariò factum necessitate absoluta, nam voluntas nostra ante peccatum

verè libera fuit. Est autē libertas voluntatis causa cōtingentiæ nostrarum actionum. Deus enim prævidet & determinat contingentia, ita tamen, vt non tollat modum agendi naturæ inditum, sed determinat actiones sicuti fiunt. Permittit Deus vt voluntas Saulis sic agat & non impellit vt secus agat, & decernit vbi Saulem repressurus sit.

Quid est Contingentia?

Est qua res creatæ in actionib. rationi subiectis nunc mutantur, alterantur, & incidunt in has atq; illas actiones & casus, ex concesso diuinitùs delectu & libertate creationis.

Quotuplex est necessitas?

Duplex. Vna est absoluta, vel consequentis, vt, necesse est Deum esse, necesse est Deum esse bonum, iustum, veracem, sapientem. Potest & hæc necessitas dici immutabilis. Altera est necessitas consequentiæ, vt, oportet euerti Hierosolymam. Oportet regnum Israel perire. Hæc non sunt natura sua necessaria, sed fiunt immutabilia postquam decreta sunt, vt, mortui reuiuiscent: vel quia sequūtur præcedentes causas, vt, Oportet esse hæreses. Diabolus enim odit Deum, et incitat impios contra Euangelium, qui obsequuntur, ideo oportet esse hæreses. Hæc sunt natura contingentia, neq; enim hæc consequentia libertatem voluntatis tollit.

Quid verò de Fato sentiendum?

Deliramenta de Stoico Fato non sunt in ecclesiam

ſiam Dei inuehenda, nihil enim habent veri aut firmi, ſed ſunt mera præſtigiæ ac ſophiſticæ coacervationes, multumq́ nocent pietati & bonis moribus, ſi ſic ſentiant homines, vt Zenonis ſeruulus, qui dicebat: Non debere ſe plecti, quòd Stoico fato coactus eßet peccare.

Quotuplex eſt peccatum?

Duplex: Originis, & Actuale.

Quid eſt peccatum originis?

Eſt nō tantùm reatus ſeu imputatio (ſicut ſcholaſtici docuerūt) qua, propter lapſum Adæ, omnes homines ſecundum naturā propagati, rei ſunt, ſed eſt etiam corruptio naturæ humanæ ſecuta lapſum Adæ, qua fit, vt nō poßit præſtare veram obedientiam Legi Dei, ſed habeat defectus et cōcupiſcentiam contra Legem dei. Eadem eſt ſententia definitionis Anſhelmi: Peccatum originis eſt carentia iuſtitiæ originalis debitæ ineſſe. quia iuſtitiam originalem vocat, nō tantùm imputationem ſeu approbationem diuinam, ſed ipſam integritatem naturæ, ſeu omnium virium hominis, intellectus & voluntatis, qua homo poterat præſtare integram obedientiam erga deum.

Quæ eſt cauſa peccati originis?

Cauſa eſt inobedientia, ſeu lapſus primorum parentum. Nam poſt lapſum amiſit vterq́, Adam et Eua, integritatem naturæ, et ſecuta eſt corruptio. Deinde ex ipſis nati ſunt tales, qualis erat natura

verè libera fuit. Est autē libertas voluntatis causa cōtingentiæ nostrarum actionum. Deus enim præuidet & determinat contingentia, ita tamen, vt non tollat modum agendi naturæ inditum, sed determinat actiones sicuti fiunt. Permittit Deus vt voluntas Saulis sic agat & non impellit vt secus agat, & decernit vbi Saulem repressurus sit.

Quid est Contingentia?

Est qua res creatæ in actionib. rationi subiectis nunc mutantur, alterantur, & incidunt in has atq; illas actiones & casus, ex concesso diuinitùs delectu & libertate creationis.

Quotuplex est necessitas?

Duplex. Vna est absoluta, vel consequentis, vt, necesse est Deum esse, necesse est Deum esse bonum, iustum, veracem, sapientem. Potest & hæc necessitas dici immutabilis. Altera est necessitas consequentiæ, vt, oportet euerti Hierosolymam. Oportet regnum Israel perire. Hæc non sunt natura sua necessaria, sed fiunt immutabilia postquam decreta sunt, vt, mortui reuiuiscent: vel quia sequūtur præcedentes causas, vt, Oportet esse hæreses. Diabolus enim odit Deum, et incitat impios contra Euangelium, qui obsequuntur, ideo oportet esse hæreses. Hæc sunt natura contingentia, neq; enim hæc consequentia libertatem voluntatis tollit.

Quid verò de Fato sentiendum?

Deliramenta de Stoico Fato non sunt in ecclesiam

ſiam Dei inuehenda, nihil enim habent veri aut firmi, ſed ſunt meræ præſtigiæ ac ſophiſticæ concertationes, multumq́; nocent pietati & bonis moribus, ſi ſic ſentiant homines, vt Zenonis ſeruulus, qui dicebat: Non debere ſe plecti, quòd Stoico fato coactus eßet peccare.

Quotuplex eſt peccatum?

Duplex: Originis, & Actuale.

Quid eſt peccatum originis?

Eſt nō tantùm reatus ſeu imputatio (ſicut ſcholaſtici docuerūt) qua, propter lapſum Adæ, omnes homines ſecundum naturā propagati, rei ſunt, ſed eſt etiam corruptio naturæ humanæ ſecuta lapſum Adæ, qua fit, vt nō poßit præſtare veram obedientiam Legi Dei, ſed habeat defectus et cōcupiſcentiam contra Legem dei. Eadem eſt ſententia definitionis Anſhelmi: Peccatum originis eſt carentia iuſtitiæ originalis debitæ ineſſe. quia iuſtitiam originalem vocat, nō tantùm imputationem ſeu approbationem diuinam, ſed ipſam integritatem naturæ, ſeu omnium virium hominis, intellectus & voluntatis, qua homo poterat præſtare integram obedientiam erga deum.

Quæ eſt cauſa peccati originis?

Cauſa est inobedientia, ſeu lapſus primorum parentum. Nam poſt lapſum amiſit vterq́;, Adam et Eua, integritatem naturæ, et ſecuta eſt corruptio. Deinde ex ipſis nati ſunt tales, qualis erat natura

sic corrupta. Ita posteritas est rea, & propter lapsum Adæ, & propter propriam corruptionem.

Quod est materiale peccati originis?

Materiale seu fundamentum peccati originis est, corruptio naturæ hominis. Significat autem corruptio vtrunq;, & defectus seu expoliationem donorum, & concupiscentiam. Hanc Scholastici tantùm fomitem vocârunt, cùm sit reuera horribilis corruptio & peccatum, quod postea gignit vitiosos motus.

Quod est formale peccati originis?

Formale est ipse reatus seu imputatio diuina.

Quid est concupiscentia?

Est horibilis ataxia, *seu inordinatus motus et impetus in omnibus viribus hominis cōtra legē Dei.*

Qui sunt effectus peccati?

Effectus sunt pœnæ peccati. Sunt autem tres gradus, prima pœna est illa ipsa corruptio naturæ, de qua dictum est, hoc est, concupiscentia, quæ postea gignit omnia actualia peccata, quare & ipsa sunt effectus corruptionis naturæ. Secunda pœna est mors, et omnes calamitates humani generis.

Tertia pœna est tyrannis diaboli, cui subiecta est natura humana, qui et corporalibus malis conatur perdere homines, et impellit ad peccata omnis generis, ad idololatriā, blasphemias, hæreses, iniustas cædes, nefarias libidines, et alia flagitia.

Manet

Manet ne peccatum originis in Sanctis? Aut quomodo remittitur peccatum originis in Baptiſmo?

Cùm dicitur peccatum originis in baptiſmo remitti, non eſt ita intelligendum, quaſi poſt baptiſmum nulla res vitioſa aut digna damnatione remaneat, ſed ita intelligendum eſt, quòd in baptiſmo remittitur reatus, id eſt, non immutatur peccatum, imputatur *etiamſi adhuc hæret in natura corruptio ſeu concupiſcentia, quæ etiam in ſanctis adultis manet, et ſua natura verè eſt res digna damnatione, ſed non imputatur propter Christum, cùm eum fide apprehendimus. Itaq́ꝫ formale peccati, id eſt, reatus, ſeu imputatio, in baptiſmo et ſanctificatis tollitur. Sed materiale, id eſt, ipſe morbus et corruptio, adhuc manet in natura, et tamen cùm datur ſpiritus ſanctus ijs qui habent fidem, hi cōcipiunt nouos et pios motus, quib⁹ incipit aliqua ex parte corrigi morb⁹.*

Eodem modo docet Auguſtinus de remiſſione peccati originis in baptiſmo, cùm inquit: Peccatis remittitur, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Item, Peccatum tranſit reatu, ſed manet actu.

Cur manent pœnæ, ſcilicet, mors corporalis, & cæteræ calamitates, cùm peccatum remittatur?

Quia peccatum vel corruptio manet in natura, ideo manet etiam mors, ſicut dicitur ad Rom. 8. Corpus mortificatur propter peccatum, ſcilicet præ-

ſens

ſic corrupta. Ita poſteritas eſt rea, & propter lapſum Adæ, & propter propriam corruptionem.

Quod eſt materiale peccati originis?

Materiale ſeu fundamentum peccati originis eſt, corruptio naturæ hominis. Significat autem corruptio vtrunq́ꝫ, & defectus ſeu expoliationem donorum, & concupiſcentiam. Hanc Scholaſtici tantùm fomitem vocârunt, cùm ſit reuera horribilis corruptio & peccatum, quod poſtea gignit vitioſos motus.

Quod eſt formale peccati originis?

Formale eſt ipſe reatus ſeu imputatio diuina.

Quid eſt concupiſcentia?

Eſt horibilis ataxia, *ſeu inordinatus motus et impetus in omnibus viribus hominis cõtra legẽ Dei.*

Qui ſunt effectus peccati?

Effectus ſunt pœna peccati. Sunt autem tres gradus, prima pœna eſt illa ipſa corruptio naturæ, de qua dictum eſt, hoc eſt, concupiſcentia, quæ poſtea gignit omnia actualia peccata, quare & ipſa ſunt effectus corruptionis naturæ. Secunda pœna eſt mors, et omnes calamitates humani generis.

Tertia pœna eſt tyrannis diaboli, cui ſubiecta eſt natura humana, qui et corporalibus malis conatur perdere homines, et impellit ad peccata omnis generis, ad idololatriã, blaſphemias, hæreſes, iniuſtas cædes, nefarias libidines, et alia flagitia.

Manet

Manet ne peccatum originis in Sanctis? Aut quomodo remittitur peccatum originis in Baptismo?

Cùm dicitur peccatum originis in baptismo remitti, non est ita intelligendum, quasi post baptismum nulla res vitiosa aut digna damnatione remaneat, sed ita intelligendum est, quòd in baptismo remittitur reatus, id est, non immutatur peccatum, etiamsi adhuc hæret in natura corruptio seu concupiscentia, quæ etiam in sanctis adultis manet, et sua natura verè est res digna damnatione, sed non imputatur propter Christum, cùm eum fide apprehendimus. Itaq; formale peccati, id est, reatus, seu imputatio, in baptismo et sanctificatis tollitur. Sed materiale, id est, ipse morbus et corruptio, adhuc manet in natura, et tamen cùm datur spiritus sanctus ijs qui habent fidem, hi cōcipiunt nouos et pios motus, quib⁹ incipit aliqua ex parte corrigi morb⁹. imputatur

Eodem modo docet Augustinus de remissione peccati originis in baptismo, cùm inquit: Peccatis remittitur, non vt non sit, sed vt non imputetur. Item, Peccatum transit reatu, sed manet actu.

Cur manent pœnæ, scilicet, mors corporalis, & cæteræ calamitates, cùm peccatum remittatur?

Quia peccatum vel corruptio manet in natura, ideo manet etiam mors, sicut dicitur ad Rom. 8. Corpus mortificatur propter peccatum, scilicet præ-

sens & adhuc hæres in natura. Oportet enim prorsus aboleri hanc corruptionem, vt deinde noua & integra natura vestiamur. Non potest autem tolli corruptio huius naturæ, nisi morte.

Quid est peccatum actuale?

Est omnis adfectus, omnis cogitatus, omne dictum ac factum cõtra legem Dei, adeoq; quicquid sine fide fit. Vel breuius: Peccatum actuale est vitiosæ naturæ fructus, vt sunt adfectus, cogitata, dicta, facta contra legem Dei. Simul autem complecti debemus personam & opus, nam licet impij habeant honesta opera, tamen quia personæ sunt vitiosæ, opera non placent Deo.

Quid reddit personam vitiosam?

Incredulitas, dubitare de Deo, vacare timore ac fiducia Dei. Licet enim summi viri, Pomponius, Cicero. &c. habeant aliquã notitiam legis, quòd scilicet Deus sit bonus, iustus. &c. tamen non norunt Euangelium, quòd Deus gratis remittat peccata. Ideoque in magnis afflictionibus iudicant se reijci à Deo. Quare cùm habeant interiores morbos, etiam polluuntur externæ actiones, iuxta illud Pauli. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Roman 14. Magnitudo animi quidem in Achille egregia virtus est, & verè opus Dei, sed fit vitiosa per accidens, nempe per vitiosam personam, quæ dubitat, vtrum Deus respiciat homines. Item est sine timore & fiducia dei.

Quid

Quid facit personam Deo acceptam?

Fides. nam si fides acceßerit ad honestam vitæ disciplinam & ad honesta opera, tunc placebunt deo.

Quotuplices sunt adfectus in natura hominis?

Duplices. Quidam simpliciter pugnant cum lege dei, vt appetere res, aut coniugem alterius: inuidere alijs dei beneficia, diffidere deo, odisse deum, appetere gloriam indebitam, efferre sese supra alios, stomachari aduersus iuditium dei. Hi adfectus sunt propriè fructus peccati originis. Suntq; simpliciter mali, vitiosi, & ex natura hominis eijciendi.

Alij sunt, qui non pugnāt cum lege dei, vt amare coniugem, liberos, benemeritos. Item irasci vitijs. Hos adfectus tollere ex natura, est tollere motum & vitā. Et licet cōmminētur quoq; vitio originis, tamē per sese nō sunt mali & vitiosi, sed in natura sunt retinendi, & efficiendum, vt fiant puriores.

Quomodo agnoscuntur peccata?

Ex cōcione Legis. Rom. 7. Per legem agnitio peccati. Nesciebam enim concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex dixißet: Non concupisces.

Quid verò sentis de peccato mortali & veniali?

Peccatum mortale, hoc est, dignum morte æterna, non tantùm est aliqua actio, sed morbus hærens in natura, qui vocatur peccatum originis. Hic motus damnat incredulos, & impios, iuxta illud Ioan. 3.

Qui non credit, iam iudicatus est. Sed his qui apprehendunt fide remissionem peccatorum, condonatur hic morbus, iuxta illud Rom 8. Nihil nunc damnationis in his, qui sunt in Christo.

Vnde ergo peccata venialia?

Morbus ille originis non est otiosus, sed gignit cupiditates et affectus vitiosos, etiam in sanctis. Iuxta illud: Caro concupiscit aduersus spiritum. Sed quia huiusmodi adfectus condonantur sanctis, fiunt peccata venialia. Sancti enim non probant tales adfectus, sed repugnant eis. Quia ergò fides in talibus qui repugnant, existit, ideò interim pronunciantur iusti.

Quæ dicis peccata mortalia?

Est genus actionum, quæ sunt eiusmodi, vt qui eas admittunt, excidant gratia Dei, desinant reputari iusti, et damnentur, nisi resipiscant. Hæ actiones vocantur peccata mortalia. Exempli gratia. probare aut facere aliquid contra conscientiã, hoc est, impijs opinionibus, incredulitati, vitiosis affectibus non repugnare: item externa flagitia committere contra mandata Dei. De his loquitur Paulus 1. Cor. 6. Neq; fornicatores, neq; idololatræ, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; defraudatores, neq; ebriosi, neq; cõuitiatores, neq; raptores, regnũ Dei possidebunt. Sic Ephes. 5 & Gal 5. Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, immunditia, impudicitia, idololatria, veneficium, odia, rixæ, æmulationes.

nes, dissidia, secta, inuidentia, cædes, ebrietates, & comessationes, & similia: de quibus prædico vobis, quòd qui talia agunt, regnum dei non possidebunt.

Quid verò sentis de patrum diuisione peccatorum actualium interna & externa?

Hæc diuisio minus periculosa est, si dixeris, quædam peccata actualia esse interna, qualia sunt affectus & cogitatus, quæ venialia dici possunt, in illis qui resistunt fide, & ideo adhuc iusti reputantur. Quædam externa, vt dicta ac facta, in quæ qui prolabuntur, recidunt à gratia, nec amplius reputantur iusti. Scias tamen, tam interna quã externa mortalia esse in ijs, qui non habent fidem, nec repugnant talibus motibus. Quia enim fide carent, non habent remissionem peccatorum. Igitur in talibus nulla eße poßunt venialia peccata.

Quid ais de peccatis omissionis, & ignorantiæ affectatæ?

Sunt & ipsa quoq; peccata mortalia. Nam hæc ipsa affectatio est contra conscientiam, vt si quis nolit cognoscere Euangelium, aut nolit intelligere officium suum, aut illud negligenter faciat. Talia nunc sunt multorum peccata, qui negligunt audire & cognoscere Euangelium, cùm tamen sciant mãdatum eße Dei: Hunc audite. Talis erat & Iudæorum ignorantia, qui Christum persequebantur. Sic sunt idololatriæ gentium peccata mortalia.

Quid requiritur in conuersis?

Vt habeant gloriam bonæ conscientiæ, & agen-

tes

tes pœnitentiam, non perſeuerent in his, quæ indicant ſe feciſſe contra voluntatem dei. Quemadmodum ſcriptum eſt: Nolo mortem peccatoris ſed magis vt conuertatur. Et rurſus: Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritq́ iuditium & iuſtitiam, viuet. Et tamen interim ſciant hanc ipſam obedientiam, quam præſtant, non eſſe perfectam. Ideoq́ in iudicio dei non confidãt dignitate operum, ſed confidant perſonam acceptã eſſe propter Chriſtum. Deinde ſeruent hoc quod Paulus inquit: Ne contriſtetis ſpiritum ſanctum dei, quo ſignati ſumus, ad diem redemptionis, hoc eſt, ne beneficium Chriſti abyciamus & pereamus.

DE GRATIA.

Quid ſignificat vocabulum Gratiæ?

VOcabulum gratia in ſcripturis, & præcipuè in Paulo, cùm diſputat de iuſtificatione, ſignificat non qualitatem ſeu habitum infuſum in anima, ſicut ſcholaſtici de gratia loquuntur, & hoc vocabulo abuſi ſunt pro charitate ſeu dilectione, quæ eſt in nobis: ſed accipiendum eſt relatiuè, & ſignificat ratuitam acceptionem, ſeu reconciliationem dei erga nos.

Quid igitur eſt Gratia?

Gratia propriè eſt remiſſio peccatorum, & reconciliatio ſeu imputatio iuſtitiæ, ſeu acceptatio

personæ, quæ fit per misericordiam propter Christũ gratis, cum qua acceptatione coniuncta est donatio spiritus sancti, quo corda in pœnitentia eriguntur fide, & capiunt consolationem, in qua consolatione efficiuntur noui motus consentientes Legi dei.

Quomodo intelligendum est, cùm dicitur, Gratia sumus iusti?

Non est intelligendum sicut Scholastici imaginantur, quòd significet nos consequi remissionẽ peccatorum, aut iustos essè propter habitum aut qualitatem, quæ est in nobis, scilicet propter nostram dilectionem, aut nouam obedientiam, hoc enim est obruere doctrinã de fide, & tollere Christum mediatorẽ. Sed ita intelligendum est, quòd consequamur remissionem peccatorũ, seu imputationem iustitiæ, deo acceptante nos gratis per misericordiam, propter aliud extra nos, scilicet propter Christum. Et tamen sciendum est, cum remissione peccatorũ coniunctam esse donationẽ spiritus sancti, cùm scilicet fide erigimur, qui efficit in nobis inchoatam obedientiam. Ergo in certamine conscientiæ, cùm quærit remissionem peccatorum, & disputat de voluntate dei erga se, non debemus intueri in nostras qualitates, aut propriam dignitatem, sed intueri debemus in promissionem de Christo, & iuxta hanc statuemus de voluntate Dei erga nos, & fide apprehendemus ipsum mediatorem. Quod cùm fit, donatur spiritus sanctus, qui affert consolationem, & est efficax, vt existant noui motus.

Vtrum-

Vtrumq; igitur tenendum est, & quòd oporteat fieri in nobis nouos motus per spiritum sanctum, & quòd tamen conscientia debeat intueri extra nos in mediatorem Christũ, & statuere, quòd propter hunc simus iusti, id est, habentes remissionem peccatorum, & accepti ad vitam æternam.

Quæ sunt causæ Gratiæ.

Efficiens causa est voluntas Dei, quæ Christum voluit pro nobis fieri victimam, & propter ipsum nobis misereri. Igitur tantùm Christi meritum, est causa propter quam datur gratia.

Quomodo contingit nobis gratia?

Instrumentalis causa est, ministerium Euangelij & Sacramentorum. Nam Deus per verbum vult esse efficax, modò vt id fide apprehendamus, Debet enim accedere nostra voluntas, quæ verbum accipiat. Non enim est efficax in repugnantibus, & in ijs, qui non consequuntur gratiam, audientes verbum, causa est ipsorum voluntas, repugnans verbo.

Sic ergo consequimur gratiam, cum ex verbo, seu promissione reuelata in Euangelio, corda concipiunt consolationem, & vincunt terrores, ac erigunt se fide, certò statuentes se accipere remissionem peccatorum & imputationem iustitiæ, iuxta promissionem, propter Christum.

Ideò ait Paulus Gal. 3 Vt promissionem spiritus accipiamus per fidem, hoc est, cùm perterrefacti erigimus nos fide, quæ nititur promissioni de Christo,

Hic

Hic damnandi sunt Fanatici spiritus, vt Anabaptistæ & similes, qui quærunt illuminationes spiritus sancti extra verbum, & sine verbo. Item qui imaginantur spiritū sanctum præcurrere Verbum, & fingunt se postea credituros esse, postquàm senserint se habere nouas illuminationes.

Sunt etiam hic excludendæ disputationes de prædestinatione. Debemus enim ordiri à verbo, quod est vniuersale. Nam sicut doctrina de pœnitentia, quæ arguit peccata, est vniuersalis: Ita etiam promissio Euangelij est vniuersalis, & mandatū vniuersale est de Christo, præcipiens, vt omnes credamus in Christum, & statuamus hanc esse æternam, & immutabilem voluntatem Dei, quòd propter Christum verè dentur nobis ea, quæ promittit Euangelium.

Est ne aliquod meritum nostrum in reconciliatione?

Nullum est nostrum meritū, propter quod contingit nobis gratia, hoc est, remissio peccatorum et imputatio iustitiæ: sed est gratuita donatio, sicut Paulus inquit: Donum Dei est, non ex vobis, ne quis glorietur. Item, Rom. 6. Donum est vita æterna.

Tollitur ergo meritum in reconciliatione, non quia nos nihil agamus, sed quia promissio est donatio, vt sit certa, videlicet, non pendens ex conditione nostræ dignitatis, & tamen interim nos accipere, non reijcere promissionem debemus.

Qui sunt effectus gratiæ?

Effectus sunt motus spiritus sancti, qui fiunt cùm euangelium apprehendimus. Ac primus et præcipuus effectus est Fides, qua nos erigimus ac statuimus deum esse nobis propitium propter Christum. Hic motus dicitur viuificatio, quia hac fide vincuntur terrores peccati et mortis. Estq́ hæc fiducia, liberatio à peccato et morte æterna, adeoq́ ipsa inchoatio vitæ æternæ. Deinde sequuntur alij motus, videlicet inchoata obedientia ergæ deum, inuocatio, timor, dilectio, patiētia, et alia virtutes.

Sunt etiam effectus gratiæ, auxilium dei contra diabolum et mortem, cōsolatio et auxilium in cruce et calamitatibus Item liberatio à Lege.

Ultimus effectus est, et qui sequitur causam finalem. Nouitas totius naturæ, et vita æterna.

Quomodo gratia liberat à peccato & morte, cū tamen maneat adhuc & peccatum hærens in carne, & mors corporalis?

Respondeo: Etsi in hac vita manet adhuc caro vitiosa, tamen hæc præsens infirmitas non imputatur credentibus, etiamsi ille morbus sua natura est peccatum, seu res digna damnatione: præterea etiam noui motus et noua vita in nobis inchoantur, qui prorsus perficientur cùm hæc caro extincta renouabitur. Itaq́ gratia dupliciter liberat à peccatis. Est enim et remissio præteritorum peccatorum, et condonatio, seu non imputatio præsentis

morbi,

morbi, qui nobiſcum natus eſt, et hæret in carne.

Secundò etiam liberamur à morte. Eſt enim iam ſublata mors æterna credentibus. Deinde etiamſi manet mors corporalis, et cæteræ afflictiones in hac vita, tamẽ illa ipſa mors eſt ſine aculeo, et manet tantùm corporalis mors, propter hoc ipſum, vt aboleatur hæc caro vitioſa. Poſtea etiam hæc ipſa mors corporalis abolebitur, & ſuccedet noua & glorificata natura, in reſuſcitatione mortuorum.

Quare Paulus diſcernit gratiam & donum?

Gratiam *vocat Paulus ipſam remiſſionem peccatorum ſeu reconciliationem et acceptionem gratuitam propter Chriſtum.*

Donum *vocat, donationem ſpiritus ſancti, & vitæ æternæ. Significat igitur vocabulum Doni, ipſos effectus gratiæ, de quibus dixi.*

Etſi autẽ hæc duo coniuncta ſunt, tamen Paulus eruditè & neceſſaria de cauſa diſcernit. Eſtq; hæc ratio diſcriminis, vt ſuprà dictũ eſt. Quia etſi neceſſe eſt in nobis incoari motus ſpirituales, tamen conſcientia in certamine & coram iudicio Dei nõ debet intueri in ſuam nouitatem aut virtutes, quæ efficiuntur à ſpiritu ſancto: nec quærere, an habeat ſatis virtutũ, an ſatis credat aut diligat. Sic enim nunquã poſſet fieri certa de remiſſione peccatorum, ſed ſimpliciter debet intueri in promiſſionem Euãgelij, & ſtatuere quòd certò habeat remiſſionem peccatorum propter Chriſtum, gratis, non propter

propriam dignitatem, aut proprias virtutes.

Quid significat spiritus gratiæ & precum, apud Zachariam?

Zacharias cap. 12 suauissimè descripsit beneficia noui Testamenti, his verbis: Effundam super domum Dauid spiritum gratiæ & precũ. Spiritũ gratiæ vocat, quo agnoscimus deum nobis propitium esse, remittere peccata, &c. Spiritus precum cõprehendit omnem cultum interiorem, innocationẽ, & omnia exercitia fidei, quæ efficit spiritus sanctus, postquã concepimus consolationẽ, & credimus nos habere remissionẽ peccatorum propter Christum.

DE IVSTIFICATIONE.

Quid significat vocabula, Iustificari & Iustificatio?

IVstificari propriè significat Hebraica phrasi, absolui à peccatis, & iustum, id est acceptum pronunciari, vt si dicas: Dauid est iustificatus à peccato, id est, absolutus & recõciliatus, seu receptus in gratiam. Sic Paulus Rom. 4. inquit: Credenti in eum qui iustificat, impium, id est, absoluit & acceptat. Ita iustificatio significat reconciliationem. seu acceptionem diuinam. Etsi enim necesse est, existere nouos motus in his qui reconciliantur, tamen iustificatio non debet intelligi in hac propositione: Fide iustificamur, de infusione qualitatum seu virtutum nouarum, sed intelligatur relatiuè, de voluntate Dei acceptante siue approbante

probante

probante nos, adeoq; de remissione peccatorum & pacificatione conscientiæ.

Sic etiam vocabulũ iustus relatiuè significat, non habentem nouas qualitates, sed reconciliatum siue acceptum, seu habentem remissionem peccatorum.

Quid complectitur iustificatio?

Tria membra complectitur, remissionem peccatorum, Acceptationem ad vitam æternã, & donationem spiritus sancti. Etsi enim in remissione peccatorum reliqua insunt, tamen docendi causa vtile est hæc discerni, vt intelligatur, hæc omnia nobis contingere, non propter nostram dignitatem, sed tantum per misericordiam propter Christum. Nec esse imaginandũ, quòd tametsi remissionem peccatorum consequimur per misericordiam, tamen postea nostris qualitatibus seu virtutibus iusti simus.

Quomodo fit iustificatio?

Suprà dictum est in euangelio doceri hæc duo, pœnitentiam & remissionem peccatorum, sicut Christus ipse inquit: Ite prædicantes pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Ideo ordiendum est ab hac prædicatione, quæ & arguit peccata, & ostendit beneficia Christi. Hic igitur est modus iustificationis. Necesse est existere contritionem, quæ statuit Deum irasci peccato, & seriò doleat de peccatis. In his terroribus erigenda est cõscientia fide, quæ apprehendit promissionẽ euangelij de Christo, & iuxta illã statuit nobis remitti peccata, & nos reputari iustos, ac hæredes esse vitæ

æternæ propter Christum per misericordiam gratuitã. Cùm hoc modo in pœnitentia seu cõtritione nos consolamur, sumus iusti, seu accepti Deo, id est, habemus remissionem peccatorum, & acceptionem ad vitam æternam, non propter nostrã dignitatem, sed propter Christum. quem tamen fide apprehendi oportet. Et cùm hoc modo consolationem capimus, simul etiam verè concipimus spiritum sanctum, qui exuscitat corda, vt incipiant habere nouos motus, vt timorem, fidem, dilectionem &c.

Quæ sunt causæ iustificationis?

Prima & principalis est ipse spiritus sanctus. Huic coniungenda est altera, scilicet Verbum, per quod mouet & efficax est spiritus sanctus. Tertiò, nostra voluntas, cùm mouetur à spiritu sancto per verbum, non debet repugnare. sed assentiri & accipere verbum. Iuxta illud. Cùm vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Agit ne aliquid nostra voluntas?

Cùm dicimus, homines gratis iustificari, & meritum detrahitur operibus, id non ita intelligendũ est, quasi voluntas nostra prorsus nihil agat, sed sit tanquam saxum aut statua. Imò cùm sit ordiendum à Verbo, sicut dictum est, certè agit aliquid humana voluntas, mota à spiritu sancto, assentitur, & accipit verbum, ac eo sustentat se, nec debet abijcere aut repugnare verbo. Item debet statuere, quòd Christus verè præstet promissa, videlicet, quòd velit credentibus impartiri spiritum sanctum,

ctum, quòd velit esse efficax per verbum.

Quæ est sententia huius dicti: Fide iustificamur?

Variè deprauatur hæc sententia. Aliqui exponũt Fide, id est, tota doctrina religionis, seu obseruatione professionis Christianæ, seu obedientia omnium virtutum. Hi planè deprauant vocabulum fidei, & fidem vocant notitiam seu professionem doctrinæ, & nihil dicunt de Christo, nihil de fiducia, quæ erigit & consolatur conscientias. Et tantùm hærent in doctrina Legis.

Alij etsi sunt paulò saniores, & concedunt vocabulo fidei non tantùm significare notitiam historiæ, sed etiam fiduciam, tamen imaginantur in hoc dicto esse Sinecdochen. Fide iustificamur, id est, quia Fides est præcipua virtus, & orditur pietatẽ, ideo tribuatur ei iustificatio, non tamẽ ita, vt excludantur à iustificatione aliæ virtutes, scilicet, dilectio. &c. Sed hi quoq; decrrant à sententia Pauli, ac etiam intuentur in nostras qualitates, cogitant nos iustos esse propter dignitatem illius virtutis et aliarum, quæ debent esse in sanctis.

Sed vera interpretatio est, Fide sumus iusti, id est, fiducia misericordiæ propter Christum sumus iusti, seu accepti deo. Debet ergo intelligi hoc dictum correlatiuè: Fide iustificamur, hoc est, gratis per misericordiam reputamur iusti, sed hæc misericordia fide apprehendenda est.

Est ergo sententia Pauli: Fide sumus iusti, id est,

non propter dignitatem qualitatum seu virtutum nostrarum, aut propter aliquid in nobis, sed propter aliud extra nos, videlicet, propter Christum reputamur iusti.

Quid excludit particula Gratis?

Non excludit pœnitentiam seu contritionem et bona opera, sed excludit conditionem dignitatis nostræ, et transfert causam beneficij (scilicet remissionis peccatorum, et donationis vitæ æternæ) in sólam misericordiam.

Quare necesse est tenere hanc exclusiuam?

Hæc doctrina tota referenda est ad ipsum agonem conscientiæ coram iudicio Dei, nec potest intelligi, nisi traducatur animus ad illud ipsum certamen. Nam in veris terroribus conscientia experitur nos non posse exponere iudicio et iræ Dei nostras virtutes et merita nostra: nec potest acquiescere, aut vincere dubitationem quandiu quærit suas virtutes, aut bona opera. David etsi habet multas excellentes virtutes et merita, tamen non potest statuere sibi propter illa certò contingere remissionem peccatorum, sed omnes illæ virtutes obruuntur et demerguntur vno peccato. Ergo, vt habeat pacatam conscientiam, et vincat terrores et dubitationem, cogitur quærere misericordiam gratuitam, nec acquiescit, priusquam fide apprehendat hanc euangelij vocem, quòd gratis ei remittatur peccatum. Ideo igitur tenenda est hæc sententia, quòd gratis iustificemur per misericordiam,

propter

propter Christum, vt beneficium sit certum, et conscientiæ habeant firmam consolationem, & vt dubitatio fide vinci possit.

Et hæc ipsa particula gratis, propriè facit discrimen Legis ac Euangelij. Nam Lex etiam habet promissiones, sed non pollicetur gratis remissionem peccatorum, sed requirit conditionem nostræ impletionis seu obedientiæ.

Hæc igitur est prima causa, cur hanc exclusiuam defendi necesse sit, videlicet, vt promissio sit certa.

Secunda causa est, vt debitus honor tribuatur Christo, videlicet, vt statuamus nobis verè propter ipsum contingere beneficia Euangelij, & discamus eo vti mediatore. Nam qui non tenent hanc doctrinam, auferunt Christo debitum honorem, nec possunt eo vti tanquam mediatore.

Dic testimonia huius exclusiuæ.

Rom. 3. Iustificantur gratis ipsius gratia, per redemptionem in Christo Iesu, &c.

Item cap. 4. Ideo ex fide gratis, &c.

Ephes. 2. Gratia estis saluati per fidem, non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus.

Galat. 2. Scientes quòd non iustificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Iesu Christi.

Ad Titum. 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam, &c.

Est ne vera propositio,
Sola fide iustificamur?

Respondeo, Est. Idem est enim dicere: Gratis iusticamur,

stificamur, & dicere: Sola fide iustificamur. Et rectius intelligetur, sentētia mutata in correlatiuam. Sola misericordia iustificamur. Tantum enim valet. Sola fide, id est, solius misericordiæ fiducia iusti pronunciamur. Imò etiam si non addatur particula sola, tamen hæc ipsa propositio: Fide iustificamur, simpliciter exclusiua est. Quia dicere, Fide iustificamur, hoc ipsum vult, scilicet, quòd fides nititur sola misericordia, nō nostra dignitate, & significat fiduciam solius misericordiæ, ac opponitur fiducia propriæ dignitatis & operum. Est igitur contradictio, dicere quòd fide iustificemur, & imaginari quòd propter opera iustificemur, aut mereamur remissionem peccatorum & vitam æternam.

Argumentor contrà.

Suprà dixisti, requiri contritionem & pœnitentiā. Ergo non sola fide iustificamur. Respondeo, Particula sola, non excludit pœnitentiam seu contritionem: nec hoc vult, quòd in renatis sit sola fides, non etiam aliæ virtutes. Sed excludit conditionem nostræ dignitatis & meriti, tanquam causam recōciliationis, quòd videlicet propter nullas nostras virtutes reputemur iusti. Et causam iustificationis, hoc est, precium remissionis peccatorum, & meritum vitæ æternæ, transfert à nobis in solam misericordiam. Etsi ergo necessè est existere pœnitentiam, & inchoatam obedientiam, tamen non propter eam habemus remissionem peccatorum.

Aliud

Aliud Argumentum.

Fide sumus iusti,
Fides est opus.
Ergo operibus sumus iusti.

Hic non valet responsio illorum qui dicunt: Fides est opus Dei, quia etiam dilectio & aliae virtutes sunt opera Dei in nobis, nec tamen propter eas iustificamur. Sic igitur respondendum est ad maiorem: Non sic est intelligenda maior, fide sumus iusti, quia fides est opus aut qualitas in nobis, sed quia nititur misericordia, & accipit misericordiam. Et haec oratio: Fide sumus iusti, intelligenda est correlatiuè, id est per misericordiam pronunciamur iusti, sed haec fide accipiendo est. Etsi igitur fides est opus seu noua qualitas in nobis, tamē non propter dignitatem illius sumus iusti, quia haec fides adhuc imperfecta est, sicut aliae virtutes sed sumus iusti propter illud quo nititur, & quod accipit fides, scilicet, propter Christum.

Si non sumus iusti propter opera, quorsum opus est bene operari?

Respondeo, Beneficiū iustificationis totum translatum est in Christum, nec pēdet ex nostra dignitate, vt videlicet sit certum. Et tamen noua obedientia est necessaria, tanquam effectus necessariò consequens. Quia cùm fide accipimus remissionem peccatorum & imputationem iustitiae, simul fit in nobis renouatio, quae est, inchoatio nouae & aeternae vitae. Inchoatio verò nouae & aeternae vitae, est

ipsa

ipsa noua obedientia. Est ergo necessaria hec noua obedientia in ijs, qui sunt iustificati.

Quæro de Paulo iam conuerso seu renato: Est ne Paulus post conuersionem iustus sola fide, an fide & operibus, seu noua obedientia simul?

Respondeo. Sola fide iustus est. Quia etsi iam habet nouam obedientiam & excellentes virtutes, tamē non potest statuere personā placere propter illas virtutes, qui sentit illam suam inchoatā obedientiam non satis facere Legi, nec potest suas virtutes opponere iuditio dei &c Quemadmodum ipse inquit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Ergo necesse est eum statuere, quòd persona placeat propter aliud, videlicet, propter Christum. Deinde quia fides nititur misericordia, & per eam statuit se acceptū esse deo, nō potest dici, quòd simul fide & operibus sit iustus. Esset enim contradictio, cōsidere simul in misericordia & dignitate propria.

DE BONIS OPERIBVS.

Quæ sunt tenenda in doctrina de operibus? Multæ sunt Quæstiones.

I. Qur opera requirantur.
II. Quomodo fiant.
III. An satis faciant Legi.
IIII. Quomodo placeant.
V. De merito & causis bene operandi.

Qualia

Qualia opera requiruntur, & quæ sunt bona opera?

DEus requirit non tantùm externa facta, quæ sunt quædam ciuilis disciplina, & iustitia carnalis, quæ est & in hypocritis & impijs. Hanc enim potest vtcunq; præstare humana voluntas, sine spiritu sancto, & à Deo requiritur etiam ab his, qui non sunt sanctificati. Sed requirit etiam interiores motus cordis, scilicet, timorem Dei, fiduciam, inuocationem, dilectionem, patientiam. & c. Iuxta illud: Dabo legem meam in cordibus eorum. Et Christus inquit: Nisi iustitia vestra abundauerit supra iustitiam Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Sũt igitur bona opera non tantùm externa facta, sed etiam interiores spirituales motus. Voco autem bona opera tantùm ea, quæ à Deo sunt mandata, & præcipiuntur in Decalogo seu decem præceptis. Quare cùm quæritur de bonis operibus, respiciẽdũ est ad Decalogũ. & sciendum est, quòd ea tantùm sunt vocãda bona opera, quæ in Decalogo docẽtur.

Debet enim extare testimonium verbi Dei, quæ opera requirat Deus, & quæ placeant Deo. Non potest autem statui, quòd placeant Deo illa opera, quæ non habent testimonium verbi Dei, sicut sunt opera traditionum, & cultus electitij, imò scriptura palàm repudiat illa opera, & negat Deo placere, sicut Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum. & c.

Die

Dic Catalogum bonorum operum ex Decalogo?

Ad primum præceptum pertinent, pœnitentia, seu timor, fides siue fiducia misericordiæ promissæ propter Christum, & dilectio, item obedientia in afflictionibus, seu patientia.

Ad secundum præceptum pertinent, inuocatio, gratiarum actio, confessio doctrinæ, & prædicatio verbi dei, si postulet vocatio.

Ad tertium pertinent, conseruatio publicarum ceremoniarum, quæ diuinitus ordinatæ sunt, reuerentia erga ministerium.

Ad quartum, officia vitæ ciuilis, obedientia Parentum, diligentia in obeunda vocatione.

Ad sextum, castitas, fides coniugij, temperantia, sobrietas.

Ad septimum, iustitia in contractibus & vsu facultatum, liberalitas eleemosyna.

Ad octauum, veritas in omni vita, odisse simulationem & mendacia.

Ad nonum & decimum pertinent, repugnare concupiscentiæ & malis affectibus.

SECVNDA QVAESTIO.

Quomodo fiunt bona opera?

Hìc primùm tenenda est regula, quòd impossibile sit fieri legem sine fide. Quia cùm non satis sit externa opera aut simulationem Legis præstare, sed requirantur interiores motus cordis, hanc veram obedientiã non possunt præstare homines sine fide

seu

seu intellectu Euangelij de Christo. Est autē hæc regula. Sine fide impossibilis est lex dupliciter intelligenda Primùm de obedientia spirituali, vt dictū est, quia etsi homines præstant aliqua externa opera, tamen in agone conscientiæ cùm corda sentiunt iram & iudicium dei, tunc dubitant, fugiunt deum, desperant, non diligunt, non inuocant deum, non præstant veram obedientiam. Secundò intelligatur etiam de acceptione, id est, etiam hoc ipsum quod facit homo sine fide, non placet, quia non fit fiducia Christi mediatoris. Nam extra Christum nihil potest placere, Ideò Christus ipse inquit. Sine me nihil potestis facere. Igitur necesse est ad doctrinam Legis addi Euangelium de Christo, & fides necessaria est ad faciendam Legem.

Sic ergo fiunt bona opera, cùm corda eriguntur Euangelio, mouente spiritu sancto, & assentientibus nobis, ibi simul concipitur spiritus sanctus, & inchoantur in nobis motus spirituales. Corda postquàm fide statuunt se habere Deum propitiū propter Christum se respici à Deo exaudiri &c. Iam agnoscunt Deum patrem, & liberata à terroribus & dubitatione incipiunt verè diligere Deum, verè inuocare, confidere auxilio dei in omnibus periculis, æquo animo perferunt afflictiones, & præstant obedientiam, propter gloriam dei: propter deum, seruiunt proximo: diligentius faciunt officia vocationis, & præstant exercitia pietatis, castitatem, diligentiam in reprimendis affectibus. &c.

Hor-

Hoc ergo est benefitium doctrinæ euangelicæ, cùm docetur de fide, discitur quomodo concipiatur spiritus sanctus, qui excitat in nobis nouos motus, & intelligitur quomodo lex sit possibilis, sicut Paulus ait, Legem stabiliri per fidem.

TERTIA QVAESTIO.

An noua obedientia satisfaciat Legi, & sit sine peccato?

Etsi in credentibus, cùm concipiunt spiritum sanctum, existit noua obedientia, sicut dictum est, tamen sciendum est, eam obedientiam esse imperfectam, nec esse sine peccato, sed adhuc hærere multum infirmitatis & vitij, etiam in ijs qui sunt sanctificati. Quare hæc inchoata obedientia (quod ad ipsum attinet) nequaquam satisfacit Legi, nec potest opponi iuditio Dei. Est enim adhuc in sanctis concupiscentia, quæ est sua natura peccatum, & res digna morte, nec est otiosa, sed perpetuò gignit vitiosos affectus. Ideò non possunt statuere sancti, se propter suam obedientiam iustos esse, & placere Deo: sed coguntur quærere misericordiam, & credere, quòd tantùm propter Christũ placeant. Ita intelligunt à se requiri perpetuã pœnitentiã, & se opus habere perpetua remissione peccatorũ, sicut Christus ab omnibus requirit pœnitentiã, ne efferãtur fiducia propriæ dignitatis, cùm inquit: Gaudium est Angelis de vno peccatore agente pœnitentiam, magis quàm de nonaginta nouem iustis. &c.

Damnanda est igitur doctrina aduersariorum,

qui

qui fingunt sanctos sine peccato esse, et concupiscentiam (quam vocant fomitem) non esse sua natura peccatum, et sentiunt renouatos sua impletione seu obedientia iustos esse. Ita tollunt prorsus Christũ, et obscurant doctrinam Euangelij.

Testimonia, quòd maneat in sanctis peccatum.

1. Ioan. 1 Si dixerimus, quòd peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus. &c.

Rom 7. Carne seruio Legi peccati. &c.

Rom. 10. Conclusit omnes sub peccatum, vt omnium misereatur.

Psal. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo vllus viuẽs.

Psal. 139. Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit?

Psal. 18. Delicta quis intelligit? &c.

Psal. 31. Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum. Ergo potuit omnibus imputari peccatum, nec sancti sunt sine peccato, sicut sequitur in Psalmo: Pro hac orabit ad te omnis sanctus. Et sancti fatentur hæc peccata, cum orant: Dimitte nobis debita nostra. &c.

QVARTA QVAESTIO.

Cùm in Sanctis sit peccatum, quomodo placet igitur inchoata obedientia?

De hoc imprimis opus est in Ecclesia erudiri conscientias, quomodo placeat inchoata obedien-

tia, cùm sit imperfecta; & procul absit à perfectione Legis. Sic ergo respondendum est. Hæc obedientia inchoata placet, non propter suam dignitatem, aut perfectionem, sed propter Christum, per quem sumus facti filij. Sicut enim persona accipit remissionem peccatorum, & placet propter Christum, ita etiam sequens obedientia seu bona opera, etsi sunt contaminata peccato, quod reliquum est in natura, tamen placent propter eundem: & quod est vitiosum, condonatur credentibus propter mediatorem Christum. Ita sciendum est, quòd & persona & opus placeat propter Christum, & quòd hæc inchoata obedientia, per misericordiam propter illum accepta sit, & reputetur tanquam Legi satisfactum sit, & vocetur impletio Legis seu iustitia in nobis, quia iam sumus filij & hæredes in Christo.

Testimonia, quod placeat hæc inchoata obedientia?

Rom. 8. Nulla nũc condemnatio ijs, qui in Christo Iesu ambulant. &c. Item,

Si spiritu actiones carnis mortificabitis, viuetis.

Galat. 5. In Christo neq; circumcisio aliquid valet, sed fides per dilectionem efficax. Placet ergo nostra dilectio, sed ita, si sit coniuncta fides, quæ prius apprehendit Christum mediatorem.

Rom. 14. Qui in his seruit Christo, placet Deo, probatus est hominibus.

1. Pet 2.

1. Pet. 2. Vt offeratis hostias spirituales, acceptas Deo per Christum. &c.

1. Ioan. 3. Quia mandata eius custodimus, & quæ placita sunt coram eo, facimus.

QVINTA.

De dignitate & caussis bene operandi.

Valde illustrat & commendat hæc doctrina amplitudinẽ misericordiæ Dei, cùm intelligimus nostrã obedientiam, etsi est contaminata & immunda, tamen placere Deo propter Christum, & quidem reputari pro impletione Legis, ac ornari summis laudibus, vocari iustitiam, cultum, sacrificia, quibus honore afficiatur Deus. Item mereri ingentia præmia. Quare non est extenuanda dignitas bonorum operum, sed amplificanda, vt accendat in nobis studium bene operandi.

Quæ sunt igitur causæ, quæ nos debent innitare ad bene operandum?

Quinque. Necessitas, dignitas, præmia proposita, exercitia fidei, & auxilium spiritus sancti.

Quæ est prima causa?

Necessitas bonorum operũ. Oportet enim fidem in nobis assiduis exercitijs in inuocatione, pœnitentia, & periculis crescere, iuxta illud: Facite dignos fructus pœnitentiæ. &c. Non enim potest fides existere cum mala conscientia; quia fides est fiducia, quòd Deus sit nobis propitius: mala conscientia iudicat contrarium. Item, qui non agunt pœnitentiam,

 tiam,

tiam, sed indulgent vitiosis cupiditatibus, non retinent fidem. Fides enim quærit remissionem peccatorum, non delectatur peccatis, nec manet spiritus sanctus in his, qui obtemperant vitiosis affectibus. Iuxta illud Ioan. Qui facit peccatū, ex diabolo est. Idem monet Petrus: Curate, inquit, vt vocationem & electionem vestram firmam faciatis.

Quæ est secunda causa?

Dignitas bonorum operum. Quanquam enim in tanta infirmitate nostra, de nobis quidem non debemus arroganter sentire, tamē vocatio nostra magnifacienda est, etsi virtutes & bonæ actiones nostræ non sunt satis mundæ, tamen ad gloriam Christi pertinent, ideo magna earum dignitas est. Et vt sciamus eas valde placere, ornat eas Deus honorificis titulis. Vocantur enim sacrificia, hoc est, veri cultus & honores, quibus deus Delectatur. Christus inquit, patrem glorificari nostris bonis operibus. Petrus inquit, nos esse sacerdotium sanctum, destinatū ad spirituales hostias offerendas, & gratias patri per Christum. Præterea, cùm benefacta et bona opera sint dona spiritus sancti, esset ingrati atque impij animi non agnoscere autorem. Item, bona opera sunt etiam sacramenta, id est, signa admonentia nos de voluntate Dei, & testantia nobis contingere remissionem, & alia beneficia diuina. Iuxta illud: Remittite & remittetur vobis.

Quæ est tertia causa?

Præmia tam corporalia quàm spiritualia, quæ bona

opera

opera merentur. Etsi autem etiam in hac vita multis præmia redduntur, tamen quia Ecclesia subiecta est cruci, præcipua præmia reddentur post hanc vitam, quemadmodum Christus ait: Merces vestra copiosa est in cælis. Et Paulus ait: Pietas habet promissiones præsentis vitæ, & futuræ.

Quæ est quarta causa?

Exercitiũ fidei. Ideo enim Deus operibus addit promissiones, vt fidem per tales occasiones exerceamus: cogitemus ideo nos daturos eleemosynam, quia Deo placet hoc officium, & credamus Deum nobis quoq; vicissim benefacturum esse, sicut docet exemplum viduæ Sareptanæ. 3. Reg. 17.

Quæ est quinta causa?

Quòd ij qui student bene operari à spiritu sancto adiuuantur & custodiuntur, ne diabolus eos pertrahat in errores perniciosos, aut ad flagitia. Ideo ait Christus: Non relinquam vos orphanos. Hoc beneficiũ dei, certè nulla vox humana satis eloqui potest. Nam diaboli insidias nulla humana prudentia sine spiritu sancto satis cauere potest. Excitent ergo nos ad benefaciendum istæ causæ.

Quid verò mala opera, nocéntne?

Imò. Merentur primùm iram Dei, & damnationem æternam.

Deinde deformant Euangeliũ & gloriam Dei, sicut ille inquit: Propter vos malè audit nomen dei inter gentes.

Tertiò, habent pœnas præsentes, diaboli tyrannidem, qui impios in potestate habet, & impellit in omnis generis errores ac flagitia. Sequuntur & pœnæ corporales, bella, & alia calamitates.

Preterea impediuntur omnia spiritualia exercitia, extinguitur fides in his qui indulgent cupiditatib. Postremò, quòd maximè horrendũ est, peccata merentur indurationẽ, & puniuntur peccata peccatis. Hæ causæ diligenter cogitandæ sunt, vt securitatẽ carnalem eijciamus ex animis, & discamus timere iram dei, ac nos ad bene operandum excitemus.

Sunt ne bona opera meritoria vitæ æternæ?

Respondeo. Quidam etsi concedunt bona opera non mereri remissionem peccatorum, tamen imaginantur postea in renouatis, opera esse meritoria vitæ æternæ. Sed nequaquã est sentiendum, quòd propter dignitatem & munditiam illorum detur vita æterna. Sed est beneficium gratuitum, & datur per misericordiam propter Christum. Et ratio est, quia nostra obedientia semper adhuc est immunda, nec placet propter seipsam, sed placet propter Christum. Et nemo sanus est tam impudens, si suam ipse conscientiam consulat, vt ausit affirmare sua benefacta esse digna vita æterna, aut sibi pro ijs deberi vitam æternam.

Sic ait Paulus: Nihil mihi conscius sum, & tamẽ in hoc non iustificatus sum. Si Paulus iam sanctus & plenus bonorũ operũ, negat se propter ea iustificari,

cati, multò minus iudicant ea esse digna vita æterna.

Item Christus ait: Si feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus, &c.

Rom. 11. Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur.

Nec eludi hæc sinamus cauillatione, quæ fingit Synecdochen, videlicet, etiamsi bona opera non sunt totale meritum, tamen esse aliquid partiale & minus principale meritū. Quia sic niteretur fides illo partiali, quod est impossibile. Est enim cōtradictio, statuere, quòd gratis accipiamus vitam æternam, per misericordiam, propter Christū: & imaginari, quòd nostra obedientia mereatur vitam æternam. Et illud ipsum partiale (etiam si quod esset) tamen prorsus excuteretur nobis in certamine conscientiæ, cùm videremus nostram obedientiam non esse talem, qualis esse debeat. In summa, non potest iudicio Dei opponi aliquod nostrū meritum, quia Lex semper accusat nos, et reos agit peccati. Sicut Paulus ait: Potentia peccati Lex, Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per Christum, &c.

Sic ergo sentiendum est: etsi nostra obedientia non est meritum vitæ æternæ, nec propter eam saluamur, sed propter Christum gratis, tamen est debitū, quod necessariò sequi debet, & meretur præmia corporalia, & spiritualia; quæ partim in hac vita, partim post hanc vitam reddentur, sicut dicit Christus: Date, & dabitur vobis.

Quare igitur vita æterna vocatur merces? ſicut dicitur: Reddet vnicuique ſecundum opera ſua &c.

Reſpondeo. Phraſis Legis eſt, quæ diſcribit, quales ſint, quibus detur vita æterna, & hoc dicit, dari vitam æternam iuſtis. Nam cùm Lex nominat opera, intelligit cuiusq; iuſtitiam aut iniuſtitiam. Sic autẽ loquitur Lex, quaſi nos noſtra impletione ſatisfaceremus Legi, & eſſemus iuſti, & promittit vitã æternã iuſtis. Sed interim ex euangelio ſciendum eſt, quòd fide gratis accipiamus imputationẽ iuſtitiæ propter Chriſtum, & quidem ita, quaſi nos ipſi Legi ſatisfeciſſemus. Quia igitur imputatur nobis iuſtitia, ſeu Legis impletio, ideo etiam promittitur nobis vita æterna, tanquã iuſtis, non quia noſtra obediẽtia digna ſit tanto beneficio, ſed quia propter Chriſtum iam reputamur iuſti, & debetur nobis merces, non propter noſtram dignitatem. ſed quia nobis promiſſa eſt propter Chriſtum. Et hæc merces non eſt compenſatio debiti officij, ſed eſt gratuiti muneris ſeu beneficij, & quidem non pro indebita, ſed pro debita obedientia, quæ tamen in nobis eſt imperfecta, & non ſatisfacit Legi.

Hic etiã dici ſolet de diſcrimine peccati mortalis ac venialis. Quia enim in ſanctis manet adhuc peccatum, neceſſe eſt diſcerni peccata, quæ hærent in ſanctificatis, & quæ poſſunt conſiſtere cum fide & bona cõſcientia, & quæ non poſſunt ſtare cum fide, ſed ſunt talia, vt qui ea admittãt, excidant gratia

Dei

Dei, & desinant esse sancti, sicut erat adulterium Dauidis. Sed de hoc discrimine supra dictum est.

DE POENITENTIA.

Quid est pœnitentia?

EST qua vera contritione morimur peccatis, & fide erigimus nos, ad accipiendam remissionem peccatorum.

Quot sunt partes pœnitentiæ?

Duæ, Contritio & Fides.

Quid est contritio?

Est terror ac dolor conscientiæ, quæ sentit deum irasci peccato, & dolet se peccasse. De hac in scripturis multa sunt testimonia: Pœnitentiam agite & credite euangelio. Marc. 1. Scindite corda vestra. Iohel. 2. Vbi habitabit Dominus? in spiritu contrito & humiliato. Esa. 66. Desinite peruersè agere. Et hæc contritio debet crescere, ita vt non solùm externa delicta, sed etiam interiorem immunditiam agnoscamus. Quare non est pœnitentia in hypocritis, qui nullo dolore afficiuntur, interim tamen sibi blandiuntur, quasi nihil habeant vitij. Et hanc securitatem Christus sæpe reprehendit seuerissimè. Nisi, inquit, egeritis pœnitentiam, simul omnes peribitis.

Vnde oriuntur isti dolores & terrores in nobis?

Per verbũ dei, quòd arguit peccata. Rom. 1. Reuelatur

latur ira dei super omnem impietatem, & Ioã. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. &c.

Quid est fides pœnitentiæ pars?

Est fiducia, qua credit vnusquisque sibi remitti peccata propter Christum gratis. Hac fides statuere debet in specie tibi remitti peccata.

De hac multa testimonia in scripturis. Act. 10. Huic omnes Propheta testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, qui credunt in eum. Rom. 5. Iustificati per fidem, pacem habemus erga Deum, hoc est, pacatas & tranquillas conscientias.

Et quod gratis remittantur peccata indignis, testantur hi loci. Rom. 3. Iustificati gratis ipsius gratia, &c. Ephes. 3. Gratia saluati estis. Dei donum est, non ex vobis. Item, Rom. 5. Per hunc habemus accessum ad Patrem. Et Psal. 31. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remittis impietatem peccati mei.

Rom. 8. Cum esset impossibile Legi, misit Deus filium suum in carnem. &c.

Rom. 4. Ideo ex fide gratis. &c.

Hec fides facit discrimen inter contritionẽ Petri & Iudæ, Dauidis & Saulis. Contritio Petri & Dauidis profuit, quia accessit fides, qua apprehendebant promissam misericordiã, & se consolabantur. Contritio verò Iuda & Saulis non profuit, quia non addiderunt hanc fidem. Hac fides quoq; facit discrimen inter timorẽ seruilem & filialem.

Timor

Timor seruilis.

Est metus sine fide.

Timor filialis.

Est metus ad quem accedit fides, quæ inter pauores erigit & consolatur animum.

Quid autem de confessione & satisfactione?

Hæ ortæ sunt ab Ecclesiastico ritu publicæ pœnitentiæ. Olim enim rei publicorum criminum excommunicabantur, nec recipiebantur, nisi primùm confessi, hoc est, nisi prius testarentur apud Pastores se emendaturos esse mores, & peterent absolutionem. Postea addebatur satisfactio, hoc est, publica quædam castigatio.

Sed hic ritus cõfessionis, seu publicæ pœnitentiæ, iam olim abrogatus est in Græca Ecclesia, propter stupratã in templo à quodam Diacono mulierẽ sic pœnitentẽ. Non fuit igitur talis ritus iuris diuini.

Quæ est confessio vsitata, quæ Sacerdoti fit?

Est peccatorum enumeratio, non tamen iure diuino mandata. Prodest tamen eam retinere in Ecclesia, propter absolutionẽ & disciplinam. Per eam enim occasionem indocti erudiri, & commodius institui de tota doctrina possunt: indecorumq́ est prorsus inexploratos accedere ad communionem. Sed tamen scire oportet conscientias non esse onerandas enumeratione delictorum. Possunt enim etiam sine hac & absolutionem & consilia petere.

Nam enumeratio ista peccatorum est impossibilis, iuxta illud. Psalm. 19. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.

Argumentor contrà.

Iudex non absoluit priusquam cognoscat. In hac confessione fit absolutio. Ergo necesse est fieri cognitionem & enumerationem peccatorum.

Respondeò ad maiorem: Interest inter potestatem iudicialem seu iurisdictionis, & potestatem ministerij. In hac confessione est tantum potestas ministerij. Nam pastor absoluit non vt iudex, sed vt minister, habens mandatum non cognoscendi, sed tantùm impertiendæ absolutionis. &c.

Sed præterea est alia potestas iurisdictionis, quæ est quoddam iudicium externũ ecclesiæ, quod tantùm ad manifesta crimina pertinet, quæ excõmunicat criminosos, & recipit excommunicatos. &c.

Quid est satisfactio?

Est quædã externa & politica disciplina Ecclesiæ, humana autoritate instituta, vel exempli causa ad cæteros dehortandos à flagitijs, aut ad explorandos animos eorum, qui ad ecclesiã redibant, an ex animo resipuissent. Olim enim in Ecclesia famosi non recipiebantur sine quadam publica castigatione, & hanc vocabant satisfactionem.

Quotuplex est satisfactio?

Duplex. Altera olim publica pœnitentiæ, altera scholastica.

Quæ

Quæ eſt ſatisfactio publicæ pœnitentiæ?

Eſt mulcta, qua pœnitentibus propter publica peccata, à præsbitero olim indicebatur, ad probandum eos, an seriò vellent resipiscere: in qua cùm se exercerent pœnitentes, vsque ad tempus ab Episcopo præscriptum, admittebantur rursus ad Synaxim. Huius satisfactionis partes erant variæ, pro conditione & magnitudine culpæ, & vt erant peccata, ita habebant suos canones.

Quæ eſt ſatisfactio ſcholaſticæ?

Eſt facere quædam opera indebita, ad redimendas pœnas purgatorij, aut alias pœnas temporales.

Dicunt enim scholastici, quòd remittatur culpa per absolutionem, sed pœnam æternam quæ debebatur pro peccatis, mutari in pœnam temporalem purgatorij. Deinde addunt partem illarum pœnarum remitti potestate clauium, partem redimendam esse nostris satisfactionibus, hoc est, illis indebitis operibus. Sic ergo docent, satisfactiones mereri remissionem pœnarum, & esse compensationem pœnarum æternarum.

Vnde orta eſt ſatisfactio canonica?

Olim in Ecclesia non recipiebantur famosi sine publica castigatione certi temporis. Hæc vocabatur publica pœnitentia & satisfactio, erantq; illa spectacula quædam externa & politica disciplinæ, ab hominibus instituta, non quòd esset satisfactio corã deo, aut propter eam remitterentur peccata. Postea illo more antiquato, remansit vocabulũ satisfactio-

tisfactionis. Unde postea homines indocti ex re politica fecerunt rem spiritualem, tanquam necessariam ad remissionem peccatorum.

Quid sentiendum de remissione pœnarum, & an possunt claues imponere, vel tollere pœnas?

Primum sciendum est, remissionem tam culpæ, quam pœnæ, esse gratuitum beneficium Christi, ac simul nos liberari peccato et morte æterna.

Deinde discernenda est remissio pœnæ æternæ à remissione pœnarum temporalium. Quamuis enim remissio pœnæ æternæ coniuncta est cum remissione culpæ, tamen sancti in hac vita, ferunt communes ærumnas humani generis, vt mortem corporalem, et alias calamitates, de quibus ait Paulus: Corpus mortuum est propter peccatum. Et Deus aliquando imponit pœnas propter certa peccata, sicut Dauid sustinuit pœnas propter adulterium.

Sed hoc non est vniuersale, quia sæpe remittũtur peccata sine peculiaribus pœnis.

Tertiò, Pœnæ quas Deus imponit, non possunt remitti potestate clauium, nec habent mandatum remittendi ac ponendi tales pœnas.

Quartò, sciendum est sæpe nostra pœnitentia mitigari aut etiam tolli tales pœnas. Sicut sæpe mitigatæ sunt pœnitentia publicæ & priuatæ calamitates, sicut ait Paulus: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur à domino.

Quintò, Afflictiones sanctorũ non semper sunt pœnæ

pœnæ propter certa peccata, sicut afflictiones Iob, et aliorum sanctorũ, item supplicia Apostolorũ et Martyrũ, sed sũnt singularia opera dei, quibus exercetur fides sanctorum, et ostenditur gloria dei. Deinde etiam in ipsis pœnis pij debent intelligere hunc finem, quòd nõ sint signa iræ, sed bonæ voluntatis dei, videlicet, quòd Deus velit hæc esse exercitia, per quæ aboleatur in nobis peccatum, et crescat nouitas spiritualis. Nec debent iudicare pij, se ideo reiectos à Deo, vt Paulus ait: A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Quid sunt indulgentiæ?

Nihil aliud, quàm publicarum pœnarum seu satisfactionum condonationes, et relaxationes veterum Canonũ. Erant autem illi Canones humanæ traditiones, quare nihil ad remissionem culpæ aut pœnarum coram deo pertinebant, nec opus est illos Canones restituere, cùm tantùm fuerint humanæ traditionis.

DE ABSOLVTIONE.

Quid est absolutio?

EST *certificatio de peccati remissione, et de misericordia dei erga peccatorum. Sic enim Christus ait, Mat. 18. Quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta in cœlis. Et Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Potest etiam reiterari absolutio?

mò, cum Petrus interrogaret Christu m, quoties

condonabo fratri? Respondit, septuagies septies. Et Paulus ad Galat. 8. Si praeoccupatus fuerit homo aliquo peccato, vos qui spirituales estis, corrigite eum spiritu lenitatis. Et Ecclesia orat quotidie, Dimitte nobis debita nostra. Et Christus ait, Luca. 15. Gaudium est Angelis dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

Recténe Nouatiani & Cathari negant lapsos post Baptismum consequi remissionem peccatorum?

Scelestè erant isti Hæretici. Nam multa possunt ostendi & veteris & noui Testamenti exempla, vbi lapsi remissionem peccatorum & absolutionem à Christo & ecclesia sunt consecuti. Exemplo sunt Dauid, Manasse, Petrus. Lapsa est Galatarũ ecclesia, & à Paulo ad pœnitentiã reuocata: & Paulus ipse Corinthum incestum iubet recipi post pœnitentiam. Dominus quoq; per Ezech. 33 ait: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Hìc Deus addit iusiurandum, vt conscientiæ eò magis erigantur, cùm audiunt non solùm promissionem, sed etiam eam confirmatam iureiurando.

Sed quid de locis Epistolæ ad Hebræos. 6. Impossibile est eos qui semel illuminati. Et. 10. Voluntariè peccantibus. &c.

Hi loci non negant lapsos posse redire ad gratiam & beneficium Christi. Prior enim locus agit de blasphemis & obstinatis, qui contra conscientiam persequun-

persequuntur verbum dei, & admonitionē & pœnitentiam adeò aspernantur, vt securi triumphent, & sibi valde gratulentur hanc sapientiam, quòd redire an sint. Hi nō possunt renouari, interim dum sic perdurant, & Christum crucifigunt, & ludibrio habent, & non auscultant euangelio.

Alter locus iubet retinere gratiam & beneficiū Christi, et cauere ne amittatur. Qui enim amittit beneficium Christi, reus est iudicij.

Est ne peccatum irremissibile?

Christus Math. 12. distinctionē facit inter peccatū remissibile & irremissibile. Quicunq; dixerit verbū contra filiū hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit verbū contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo neq; in hoc futuro. Et Ioan. ait: Qui scit fratrē suum peccare peccatū, non ad mortē, petat, & dabitur ei vita. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.

Quod est peccatum in spiritum sanctum?

Augustinus intelligit peccatū in spiritum sanctū, aut finalem impœnitentiā in ijs qui non accipiunt Euangelium, aut desperationē. Quia hæc peccata propriè pugnant cum gratia, & eā abijciunt. Nam cætera peccata, cùm fugimus ad gratiam, remittūtur. Ideò sic interpretatur Augustinus dictū Christi: Qui dixerit verbum contra spiritum sanctū; id est, qui verbum gratiæ, quod prædicatum & cōfirmatum est testimonijs spiritualibus, finaliter repudiat, is habet peccatum in spiritum sanctum.

Est ne omnis lapsus post agnitam veritatem, peccatum irremissibile?

Minimè. Nam multa sunt exempla et testimonia, quæ docent tales lapsus cōdonari posse. Ac nec omnis persecutio euangelij iudicari debet peccatū irremissibile. Quia Manasses, Paulus et alij, qui persecuti sunt verbum dei, consecuti sunt veniam.

Quare vtraq; sententia retinenda est: Primum, quod omnia peccata remittātur credentibus, quia promissio remissionis est vniuersalis. Iuxta illud: Conclusit omnes sub peccato, vt omniū misereatur. Item 1. Ioan. 1. Ipse est propitiatio non tantùm pro peccatis nostris, sed pro peccatis totius mundi.

Secundò, tenendum est & hoc, quòd sit aliquod peccatum irremissibile, seu peccatum ad mortem. Qui autem habeant peccatū irremissibile, non est nostri iudicij, satis est à posteriore iudicare, tale peccatum non esse in ijs qui veniunt ad pœnitentiam & fidem. Et irremissibile peccatum, tantùm ad illos transferendum est, qui ad extremum perseuerarunt in incredulitate, & non egerunt pœnitentiam. Hi autem qui agunt pœnitentiam, non habent peccatum irremissibile.

Quis est effectus pœnitentiæ?

Effectus seu fructus pœnitentiæ sunt tota nouitas vitæ & morum. Nam in his qui reconciliati sunt, debet sequi iustitia bonæ conscientiæ. De quo ait Ioannes: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Et de necessitate huius nouæ obedientiæ suprà dictū est.

DE

DE FIDE.

Quid est Fides?

Fides non tantùm est notitia historiæ de Christo, sed est vera fiducia cordis, quæ assentitur promissioni Euangelij, præcipuè autem significat fiduciam misericordiæ promissæ propter Christum. Nam etsi promissiones sunt multiplices, & varia obiecta, circa quæ versatur fides, sicut sunt alia aliorum negotia & pericula, alia sunt Mosi, alia Dauidis, alia Pauli negotia, tamen hoc principale obiectum fidei est, quodq; in omnibus negotijs semper est primum & præcipuum, scilicet, fiducia misericordiæ, qua statuit cor, se habere remissionem peccatorum, & se placere Deo propter Christum. Hæc fides præire & prælucere debet in omni inuocatione, & hac erecta mens petit & expectat auxilium dei in omnis generis tentationibus.
Rursus sine hac fide seu fiducia misericordiæ, nulla est inuocatio, neque vinci possunt vlla pericula. Nisi enim sit in corde talis fides, opprimuntur animi dubitatione & indignatione aduersus Deum, in veris certaminibus.

Quomodo existit hæc fides in animis?

Spiritus sanctus mouet corda per Euangelium, quod docet peccata nobis remitti propter Christũ, qui factus est victima pro nobis. Sic igitur existit hæc fides, cùm audientes hanc promissionem, & intuentes in Christum mediatorem, credimus pro-

pter ipsum nobis ignosci, nos placere Deo, & exaudiri, nec sinimus nobis excuti hanc fiduciam. Hæc fides est ipsa viuificatio cordis, & vincit terrores peccati & mortis, & affert firmam consolationem, sustentat nos in omnibus periculis, & petit & impetrat bona à deo.

Proba quòd fides significet fiduciam misericordiæ.

Hoc tempore etiam eruditi quidam disputant, vocabulum fidei significare tantùm historiæ notitiam, seu professionem articulorum, quæ etiam potest esse in impijs, & negant hac voce significari fiduciam misericordiæ. Tenenda sunt igitur firma argumenta, quòd fides, in hac propositione, Fide iustificamur, significet fiduciam misericordiæ.

I. Paulus confert promissionem, & fidem quæ apprehēdit promissionē, Rom 4. cùm ait: Ideo ex fide gratis, vt sit firma promissio: vult enim promissionem futuram esse ociosam, si nō accipiatur fide. Cùm igitur fides ad promissionē, tanquam obiectū correlatiuè referatur, necesse est Paulum de tali fide intelligi, quæ est assensus, quo assentimur promissioni. Sed hæc fides assentiens promissioni, est verè fiducia misericordiæ, non tantùm notitia historiæ.

Sic etiam ad Galat. 3. ait: Vt remissio ex fide Christi detur credentibus. &c.

II. Rom. 5. inquit de Abraham: Non dubitauit diffidentia, sed confirmatus est fide. Hic clarè loquitur de fide, quæ repugnat dubitationi, & acci-

pit remissionem. Nam de fiducia promissionis disertè ait: De promissione Dei non dubitauit per diffidentiam. &c.

III. Paulus loquitur de tali fide, quæ non est otiosa notitia, sed quæ agit aliquid in remissione peccatorum, & tribuit ei efficaces causas, videlicet, quòd consoletur & erigat animos in pauoribus, reddat pacatas conscientias, vincat peccatum & mortem. Rom. 4. Iustificati fide pacem habemus. Item Ephes. 1. Per quem habemus fiduciam & accessum in fide. &c. Ergo necesse est intelligi fidem pro fiducia erigente animos.

Item Christus, cùm ait ad mulierem peccatricem: Fides tua saluam te fecit, certè loquitur de tali fide, quæ credit & agnoscit sibi, remitti peccatum, iuxta vocem Christi: Remittuntur tibi peccata. Sic etiam in similibus locis, cùm eodem modo loquitur ad Cananæam, & hæmorrhoissam, intelligit fiduciam quæ ab ipso expectabat auxilium, nec erat otiosa notitia.

IIII. Petrus in Actis ait: Fide purificari corda, hoc est, habere remissionem peccatorum & pacatam conscientiam. Constat autem non purificari corda illa notitia, quæ est etiam in impijs. Igitur necesse est fidem hic significare fiduciam, quæ apprehendit remissionem peccatorum.

V. In sententijs de oratione manifestum est, vocabulum fidei nihil aliud posse significare nisi fiduciam, quæ credit sibi Deum propitium esse, & se

exaudiri, vt Iacob. 1. Si quis habet opus sapientiæ, petat in fide, nihil hæsitans. Sic & Christus ait: Omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, &c. Sic etiam in veteri testamento vocabulum fidei, & credere, significat fiduciam misericordiæ, vt, credidit Abraham. Item Iosaphat 2. Paral. 20. Credite deo.

Quæ est sententia huius dicti: Iustus ex fide viuet?

Duas res tribuit fidei, videlicet iustificationem & viuificationem, hoc est, liberationem à peccato & morte. Docet quòd fide sumus iusti seu accepti deo, & quòd fide viuificemur, hoc est, accipiamus consolationẽ qua vincitur mors æterna, & apprehenditur vita æterna. Ergo in hoc quoq; dicto, fidem necesse est intelligi non pro notitia otiosa, sed pro vera fiducia misericordiæ, quæ impetrat remissionem peccatorum, & consolatur animos, ac liberat à terroribus, & certos reddit de vita æterna.

Quid? excludenda ne est à fide historiæ notitia?

Minimè, Imò necessarium est credere omnes articulos. Sed non satis est tenere historiam, sed historia referenda est ad causam finalem, quæ est in Symbolo, videlicet, Credo remissionẽ peccatorum. Hic enim est vsus historiæ, vt credas Christum filium Dei ideo esse natum in carnem, passum, & resuscitatum, vt tibi contingat remissio peccatorũ & vita æterna.

Quæ est professio fidei christianæ?

Tria feruntur Symbola seu professiones articulorum fidei. Vulgatum, quod vocatur Apostolorũ, Alterum Nicenum, Tertium Athanasij.

RECITA SYMBOLVM
APOSTOLORVM.

1 CRedo in Deum, patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

2 Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum.

3 Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine.

4 Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

5 Discendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. descendit

6 Ascendit ad cœlos, sedet ad dextram dei patris omnipotentis.

7 Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

8 Credo in spiritum sanctum.

9 Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum comunionem.

10 Remissionem peccatorum.

11 carnis resurrectionem.

12 Et vitam æternam. Amen.

DIC SYMBOLVM NICENVM.

CRedo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.

Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem, descendit de cœlis, & incarnatus est de spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est, & resurrexit tertia die, secundum scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, & iterum venturus est, cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis.

Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre & Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi, Amen.

DIC SYMBOLVM ATHANASII.

QVicunque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram, inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem catholica hæc est, vt vnum Deum in trinitate, & trinitatem in vnitate veneremur.

Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona patris, alia filij, alia spiritus sancti.

Sed patris & filij & spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

Qualis pater, talis filius, talis spiritus sanctus.

Increatus pater, increatus filius, increatus spiritus sanctus.

Immensus pater, immensus filius, immensus spiritus sanctus.

Aeternus pater, æternus filius, æternus spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus.

Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.

Ita Deus pater, Deus filius, Deus ſpiritus ſanctus.

Et tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus.

Ita Dominus pater, Dominus filius, Dominus ſpiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini, ſed vnus eſt Dominus.

Quia ſicut ſigillatim vnamquamque perſonam Deum aut Dominum confiteri chriſtiana veritate compellimur.

Ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius à patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus ſanctus à patre & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Vnus ergo pater, non tres patres: vnus filius, non tres filij: vnus ſpiritus ſanctus, non tres ſpiritus ſancti.

Et in hac trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus.

Sed totæ tres perſonæ, coæternæ ſibi ſunt & æquales.

Ita vt per omnia, ſicut iam ſuprà dictum eſt, & trinitas in vnitate, & vnitas in trinitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſaluus eſſe, ita de trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt in-

carnationem quoque Domini nostri Iesu Christi vnusquisque fideliter credat.

Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus dei filius, Deus & homo est.

Deus est ex substantia patris ante secula genitus: & homo est, ex substantia matris in seculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Aequalis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus.

Vnus autem non conuersione diuinitatis in carne, sed assumptione humanitatis in Deo.

Vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.

Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, sic Deus & homo vnus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, discendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.

Et reddituri sunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam,

qui

qui verò mala, in ignem æternum. Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.

DE DEO.

Quid est Deus?

DEUS est substantia intelligens, spiritualis, æterna, creatrix & conseruatrix omnium rerum, infinitæ sapientiæ, bonitatis, iustitiæ, & misericordiæ.

Dic testimonia de vnitate Dei.

Deut. 6. Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est.

Esa. 44. Ego sum primus & nouissimus, & præter me non est Deus. Et. 45. Ego sum Deus, & non est vllus præterea. &c.

1 Corin. 8. Scimus quòd idolũ nihil est in mundo, & non est alius deus nisi vnus. &c.

Ephes. 4. Unus Deus & Pater omnium, super omnes, & per omnia.

1. Timoth. 2. Unus est Deus, et vnus mediator Dei et hominum

Quot sunt personæ diuinitatis?

Una est tantùm diuina essentia sed ea tribuitur tribus personis, scilicet, Patri, Filio, & Spiritui sancto, quæ sunt homoousioi, *seu eiusdem substantiæ, pariter immensæ, coæternæ.*

Quid hic significat persona?

Persona

Persona est substantia individua, intelligens.

Vnde probas esse tres personas?

Christus iubet baptizari omnes gentes in nomine patris et filij, et spiritus sancti. Hic nominatim recensentur tres personæ cõsubstãtiales seu homoousioi. *Item professio Symboli idem testatur vbi fatemur nos credere in patrẽ, filium & spiritum sanctũ.*

Math. 3. discernuntur personæ, cùm apparet spiritus sanctus specie columbæ, et auditur vox patris, quæ testatur de Filio: Hic est Filius meus dilectus &c.

Item Ioan 15. Cùm venerit paracletus quem ego vobis mittã à patre. Hic cõiungũtur tres personæ, paracletus veniẽs seu missus, filius mittẽs, et pater.

1. Ioan. 5. Tres sunt qui perhibent testimonium, Pater, Filius, et spiritus sanctus. Hi tres vnũ sunt.

Quis est pater?

Est prima persona diuinitatis, æterna, immensa, ingenitus, et à nemine existens.

Quid est Filius?

Secunda persona diuinitatis, à patre ante secula genitus, homoousios *seu consubstantialis patri, et coæternus.*

Quid significat: In principio erat verbum?

Verbum seu Logos, vocatur apud Ioannẽ filius Dei, quæ est secunda persona. Est igitur sententia, In principio erat verbum, id est, Filius Dei erat

in principio & ab æterno.

Quare vocatur *Logos*, seu verbum?

Quia est persona loquens, quæ semper locuta est ab initio patribus.

Proba quòd *Logos* seu verbum significet personam, quæ sit natura deus.

Ioannes ait de verbo seu Logo, *quòd fuerit in principio, hoc est, quòd sit æternus. Nam si initio fuit verbum ante conditionem omnium rerum: Ergo non est creatura, sed coæternus patri.*

Deinde cùm ait: Verbum erat apud Deum, hîc disertè discernit personas, quòd alia sit persona patris, alia verbi.

Tertiò ait: Et deus erat verbum, hîc clarè testatur verbum esse Deum. Nam particula Logos, *seu verbū hîc ponitur loco subiecti, sicut indicat Græcus articulus additus. Sed particula deus, est prædicati loco.*

Postea idem Ioannes indicat de verbo: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. &c.

Hæc sunt verba, quæ necesse est de persona intelligi, in qua fuerit diuina natura.

Sic & reliqui loci, qui dicunt per filium omnia condita esse, testantur Logon *seu verbum esse personam, quæ sit natura deus. Constat enim mundum non esse conditum per humanam naturam.*

Ad Colos. 1. Omnia per ipsum & in ipso condita sunt, & ipse est ante omnia, & omnia consistunt per ipsum. Item Colos. 2. In ipso habitat plenitudo diuini-

diuinitatis corporaliter.

Ad Heb.1. Per quem fecit & secula qui est fulgor claritatis, & effigies substantia eius, ferens omnia verbo potentia sua. &c.

1. Ioan. 1. Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, quod manus nostra contrectauerunt, verbum vita, id annunciamus.

Ioan. 6. Quid? si videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius?

Ioan. 17. Glorifica me pater, gloria quam habui ante mundum apud te.

Ioan. 8. Antequam Abraham natus, ego sum.

Ioan 5. Sicut pater exuscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Item, quacunque ille facit, hac & filius similiter facit.

Ioan. 10. Ego vitam aternam do eis. &c.

Ioan. 15. Dicit se mittere spiritum sanctum. Cum venerit paracletus, quem ego mittā vobis à patre. Et infra: Si non abiero, non veniet paracletus: si autem abiero, mittam eum ad vos.

Ioan. 20. Thomas Christum aperte vocat Deum: Dominus meus, & Deus meus.

Ro. 9. Qui est super omnia deus benedictus. &c.

Quid est spiritus sanctus?

Est persona diuina, coaterna, & coëssentialis Patri & Filio, ab vtroque procedens.

Dic testimonia quæ probant spiritum sanctum esse personam, & natura Deum.

Suprà

Suprà dixi, clarè discerni personas, cùm Christus inquit: Baptizantes in nomine Patris, et Filij, et spiritus sancti.

Sic Math 3. & Luc. 3. discernuntur personæ: Patris vox loquitur de Christo. Hic est filius meus dilectus Hîc sunt duæ distinctæ personæ, patris loquentis, et testantis suum esse filium. Tertiò, seorsim etiam Spiritus sanctus describitur apparere peculiari specie columbæ, quæ est neq; pater, neq; filius. Ioan. 14. Rogabo patrē, et alium paracletum dabit vobis. Item, Paracletus spiritus sanctus, quē mittet pater in nomine meo, is docebit vos omnia.

Item, non à semetipso loquetur, sed quæ audiet loquetur. Ioan. 15. Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ille testimonium perhibebit de me. Rom. 8 Vos non estis in carne, sed in spiritu, siquidem Dei spiritus habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, is non est eius. Item, si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, &c.

Hi loci clarè discernunt spiritū sanctum à patre et Filio, et testantur esse spiritum patris et Filij.

Ibidem, Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, &c.

1. Pet. 1. De qua salute exquisiuerunt et scrutati sunt Prophetæ, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones, &c.

Hic clarè testatur quòd spiritus sanctus extiterit

terit

terit antequam filius dei induit carnem, & vocat eum ſpiritum Christi.

Item, ibidem: Quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos qui Euangelizarunt vobis Spiritu ſancto miſſo de cœlo. &c.

Actor. 2. ex Ioële: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. Hic teſtatur Spiritum ſanctum, qui effunditur, non eſſe perſonam Patris: & tamen, cùm inquit: De ſpiritu meo, ſignificat illum ſpiritum habere naturam diuinam.

Vnde probas, quod ſpiritus ſanctus pariter procedat à Patre & Filio?

Ioan. 14 dicitur: Paracletus quem mittet pater in nomine meo. Deinde ait Chriſtus: Paracletus quem ego mittam vobis à patre. Hic teſtatur paracletum venire, ſeu mitti, tã à filio, quàm à patre.

DE CREATIONE.

Quid eſt creatio?

EST factura qua Deus creauit ſpiritus, & omnes corporales naturas ex nihilo per verbum, ad conſeruandum ac ſuſtentandum eas. Gene. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram, hoc eſt, cùm nihil adhuc eſſet creaturarum.

Quid eſt creatura?

Eſt totum illud Dei officium, tam ſpirituum creatorum, quàm aliarum rerum et naturarũ corporalium, in hoc diuinitùs factarum, vt monſtrent

Deum esse, nec ſolum esse ſimpliciter Deum, ſed æternum, potentem, qui creet, gubernet & cōſeruet omnia. Quibus cognitis, inde deus creator & conſeruator glorificetur, & gratiarū actiones habeat.

Quis conſeruat creata?

In articulo creationis, ſemper intelligere debemus perpetuam gubernationem, ſuſtentationem, & cōſeruationem rerum, ita quòd Deus non diſceſſerit à ſuo opificio, ſicut faber diſcedit à domo facta: ſed Deus perpetuò gubernat, ſuſtentat & conſeruat naturas rerum, quotannis fœcundat terram, procreat fruges ex terra, perpetuò ſuppeditat animantibus vitam et motum. Act. 17. In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. Coloſs. 1. Omnia in eo conſiſtunt. Pſalm. 103. Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore. Pſal. 35. Homines et iumenta ſaluabis domine.

Quomodo agnoſcitur Deus in creaturis & naturis rerum?

Tota rerum vniuerſitas est Sacramentum & teſtimonium quoddam, quòd ſit Deus, quòd ſit bonus, iuſtus, ſapiens. Item motus cœleste, vices temporum, conſeruatio ſpecierum, ſatis clamant, mundum & naturas rerum non exiſtere caſu, ſed certo conſilio condita eſſe, regi, et conſeruari. Deinde humanæ mentes ſunt imagines diuinitatis, et ſpecula in quibus contemplari diuinitatem debemus. Iudicat et politica ſocietas generis humani præſentiam

sentiam Dei. Videmus quoque homicidas et tyrannos diuinitùs ad pœnitentiam rapi.

Quomodo vtendum est creaturis?

Magna pietas est, creaturis sic vti, vt per eas glorificemus Deum, et monstremus in his bonitatem eius ac præsentiam, et gratias ei agamus: quod qui non faciunt, sunt Epicurei, imò atheoi.

DE HVMANIS VIRIBVS, siue de libero arbitrio.

Quid est liberum arbitrium?

EST voluntas cum ratione consentiens. In homine enim sunt, ratio siue mens, quæ iudicat: voluntas, quæ vel obtemperat, vel repugnat iudicio, et imperat inferioribus viribus, scilicet affectibus sensuum.

Iam quæritur, quomodò voluntas sit libera, quomodo possit obedire Legi dei?

De hac quæstione iudicari non potest, nisi magnitudinem peccati, quod nobiscum nascitur, consideremus. Item, nisi sciamus Lege Dei non tantùm requiri externa ciuilia facta, sed perpetuam et perfectam totius naturæ obedientiam. Nam nisi natura hominis non esset corrupta peccato, haberet certiorem & clariorem de Deo notitiam, non dubitaret de voluntate dei, haberet verum timorem, verã fiduciam: deniq; præstaret integram obedien-

tiam Legi, hoc est, in natura essent motus omnes consentientes cum Lege dei, sicut in piis Angelis. Nunc autem natura hominis oppressa morbo originis, plena est dubitationis, caliginis, errorũ, neq; verè timet Deum, nec verè confidit, deniq; plena est vitiosorum adfectuum.

De hac infirmitate quæritur.

Quantum potest præstare voluntas humana?

I. Respondeo. Cùm in natura hominis sit quidam delectus rerum, quæ sunt subiecta rationi aut sensui, & externorum operum ciuilium, potest voluntas humana suis viribus, sine renouatione, aliquo modo externa Legis opera facere. Hoc concedunt Philosophi & sacræ literæ. Nam scriptura docet esse quandam iustitiã carnis, quædam opera Legis, etiam in non renatis. Sed hæc libertas sæpe vincitur naturali imbecillitate, impeditur quoq; sæpe à diabolo. Nam cùm natura sit plena malorũ adfectuum, obtemperant homines sæpe prauis cupiditatibus, nõ recto iudicio, sicut apud Poëtam ait Medea: Video meliora, proboq;, Deteriora sequor.

II Euangelium docet in natura horribilem corruptionem esse, quæ repugnat Legi Dei, hoc est, facit, ne præstare integrã obedientiã possimus. Hanc corruptionẽ autem non potest natura tollere, sicut nec mortem, imò tanta est naturæ cœcitas, vt eam corruptionem perspicere non possimus. Ideo quoq; non videmus, quãta sit humanarum virium infirmitas,

mitas, quam si verè cerneremus, tum demùm intelligeremus homines non posse Legi Dei satisfacere.

Cur igitur homines non possunt Legi Dei satisfacere?

Voluntas humana non potest sine spiritu sancto efficere spirituales adfectus, quos deus requirit, scilicet, verum timorem dei, veram fiduciam misericordiæ, tolerantiam in afflictione, dilectionem dei, & similes motus.

Da scripturas.

Rom. 8. Qui spiritu dei ducuntur, hi sunt filij dei.

Item, Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.

Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.

Item, Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.

Item, Erunt omnes docti à Domino.

Item, Sine me nihil potestis facere. Ioan. 15.

Si sic docetur, deterrentur homines à studio obediendi, credendi, & benefaciendi.

Tanta est peruersitas iudicij humani, vt cùm ostenditur nobis nostra infirmitas, & promittitur auxilium spiritus sancti, homines segniores fiant ad studium bene operandi: Cùm hæc doctrina Euangelij magis nos deberet excitare & accendere ad innocandum & petendum auxilium à deo.

In hac lucta hortandus est animus, vt omni conatu retineat verbum: non est dehortandus ne conetur, sed docendus, quòd promissio sit vniuersalis, et quòd debeat promissioni credere. Nam paulus ait: Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Et Diuus Basilius inquit: Deus anteuertit nos, vocat, mouet, adiuuat nos, sed viderimus ne repugnemus. Non enim debemus indulgere diffidentia, aut desidia naturali.

Potest ergo homo aliquid suis viribus præstare?

Tametsi ingens imbecillitas est in pijs & sanctis, tamen est aliqua libertas voluntatis, cùm quidem iam adiuuetur, à spiritu sancto, & agere aliquid potest in externis lapsibus cauendis, ideò spiritus sancti auxilium amplificari debet, & nostra diligentia acui. Sic Paulus cauere iubet, ne frustra Dei gratiam acceperimus, & Christus promittit spiritum sanctum dare, non ociosis, non aspernantibus, non repugnantibus, sed patentibus. Luc. 11. Et deus auget dona in his, qui rectè vtuntur, vt docet similitudo de negotiantibus.

Quid autem sentis de opinione Manichæorum?

Non probo delirameta Manichaeorum, qui prorsus nullam actionē voluntati tribuunt, nè quidem adiuuante spiritu sancto, quasi nihil intersit inter statuam & voluntatem. Ecclesiasticus ait: Deus reliquit hominē in manu consilij sui. Hic dico voluntatem

luntatem in pijs actionibus & conatibus non esse ociosam, sed tamen adiuuandam esse spiritu sancto, ita sit verius libera.

D. Hyeronimus duo dicta tradidit, quorum alterum interpretatur alterum. Sunt autem hæc: Anathema sit, qui dixerit Deum impossibilia præcepisse. Et rursus: Qui dixerit nos posse mandata Dei implere sine gratia dei, anathema sit.

De diuisione Liberi arbitrij.

Quidam diuidunt liberum arbitrium, in liberū arbitrium ante lapsum, & post lapsum.

Quid liberum arbitrium ante lapsum?

Fuit plenaria libertas apprehendendi tam bona, quàm mala, tam seruandi præcepta dei, quàm non seruandi, pro libera voluntate in creatione indita diuinitus. Sic Ecclesiast. 15. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Illud liberum arbitrium fuit ante lapsum hominis tale, quale adhuc hodie sancti Angeli habent. Nunc propter peccatum adempta est libertas apprehendendi bona spiritualia. Iuxta illud: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus. Adam ex illa libertate, et benè et malè agere potuit, amare deum, et odisse. Ita et Angeli, qui cùm malum apprehenderunt, lapsi fuerunt.

Quid est liberum arbitrium post lapsum?

Natura corrupta. superest aliquod inditiū Legis, intelligens quæ sint facienda, quæ tamen voluntas

efficere non potest, nisi accesserit spiritus sanctus, et iuuerit voluntatē & conatus nostros. In externis, est voluntas efficax rerum externarum, siue renouatione spiritus, quæ tamen à diabolo impediri potest.

Quid ergo relinquitur nostro arbitrio in rebus spiritualibus?

Indicium quoddam faciendorum, quæ est Lex naturæ, voluntas, conatus, studium, cursus, cogitatio: quæ omnia nihil sunt, nisi accesserit spiritus sanctus. Quare et Apostolus vbique precatur Ecclesiis, ad quas scribit, vt Deus, qui cœpit in illis, bonum perficiat.

DE PRAEDESTINATIONE.

Quid est prædestinatio?

EST certa Dei præordinatio, qua eueniunt omnia cùm interna, tum externa opera, & cogitationes in omnibus creaturis, iuxta decretum voluntatis suæ.

Electio est, qua elegit nos Deus in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi, vt essemus irreprehensibiles coram illo per charitatem, vt adoptaret nos in filios per Iesum Christum in sese, iuxta beneplacitum voluntatis suæ. Ephes. 1. & Math. 10. Nonne duo passeres. &c.

Vnde auspicanda est prædestinatio?

Non à Lege, neq; à ratione, sed ab Euangelio, quæ est vniuersalis promissio. Si quis extra Euangelium

gelium causam quarit electionis, is non potest non errare. Deinde si quis ex vniuersali, promissionem particularem velit efficere, is reddet simpliciter incertam promissionem, & tollet fidem. Quare ex vniuersali promissione iudicanda est pradestinatio: id vbi fit, nulla restabit amplius occasio excruciandi animum illa peculiaritate.

Quot sunt partes prædestinationis?

Dua. Alligationis, & Conditionis.

Alligatio, *est necessitas prasentium, vt si quid prouidentia prasens esse videtur, id necesse est esse, tametsi nullam habeat natura necessitatem, vt omnes homines mortales esse necesse est, sic Deo prouidente.*

Conditio, *vt si Adam ederit de pomo morietur. Si Israel ambulauerit in via Domini, et seruauerit pracepta eius, seruabitur. Si susceperis Euangelium, & illi credendo ad finem vsque vita tua adhaseris, seruaberis: si verò non susceperis, damnaberis. Sic Augustinus: Pradestinauit Deus hominem, vt si esset obediens, & à gustu vetiti pomi abstineret, in vita permaneret: sin autem inobediens esset, sententiam mortis subiret. Pradestinati enim sumus sub conditione, vt si susceperimus verbum, erimus filij Dei: si non, damnabimur. 2. Timot. 2. ait Paulus: Si quis expurgarit se ipsum ab his, scilicet impijs doctrinis, erit vas in honorē sanctificatum, accommodatum vsibus domini, ad omne opus bonum praparatum.*

Da locos ſcripturæ qui oſtendunt promiſsionem eſſe vniuerſalem.

Paulus Rom. 3, Iuſtitia dei per fidem Ieſu Chriſti, quæ eſt in omnes & ſuper omnes.

Et Romanorũ decimo: Idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum.

Item. Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Ezech. 18.

Math. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, ego reficiam vos.

Ioan. 3. Vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Item, Act. 10. Apud Deum non eſt perſonarum acceptio. His ſententijs erigendæ ſunt conſcientiæ contra naturalem diffidentiã et dubitationẽ. Quia verò malum ex nobis eſt, cauendum eſt ne volentes indulgeamus naturali diffidentiæ, ac repugnemus promiſsioni, ſed reſipiſcẽtes credamus promiſſioni.

DE DISCRIMINE VETERIS & noui Teſtamenti.

Quod eſt diſcrimen Veteris & noui Teſtamenti?

VEtus Teſtamentum propriè fuit Lex, & tota politia Moſi, quæ habuit promiſſiones, datas populo Iſrael de regno & politia corporali.

Nouum teſtamentũ eſt, non miniſterium Legis, ſed

sed Euangelij videlicet, pactũ de regno Christi spirituali & æterno, & habet promissionem iustificationis & vitæ æternæ, donandæ propter Christum.

Quare illud vocatur Vetus, hoc autem nouum Testamentum?

Non propter ordinem & successionẽ temporum, quasi Nouũ testamentũ non pertinuerit ad patres, sed propter discrimen ministerij & promissionem. Quia Vetus testamentũ erat ministeriũ Legis, & obseruatio rituum Leuiticorũ, & illius politiæ populi Israel, & habebat promissiones de illo regno. Sed Noui testamenti aliud est ministerium, alia promissio, videlicet rerum æternarum, nec consistit in externis obseruationibus, sed requirit cultus spirituales, hoc est, veros motus cordis.

Desijt ne Vetus testamentum?

Etsi Lex Mosi & illa politia ad certum tempus constituta, iam cessauit postquàm Christus exhibitus, nec opus est obseruatione illorũ rituum et politiæ Mosaicæ: tamen quia doctrina Legis moralis scripta est in natura, et communis est omnium hominũ, eatenus pertinent ad Vetus testamentũ, qui tantùm habent notitiã Legis, nec habent notitiam Euangelij, neq; sunt renouati à spiritu sancto.

Econtrà Nouum testamentum, id est, pomissio remissionis peccatorum et renouationis per spiritum sanctum, non tantum est vnius temporis, sed omnium ætatum, sicut et Patribus facta est promissio de Christo.

Quid

Quid significāt apud Paulum hæc vocabula. Litera & Spiritus?

Per literam intelligit omnes cogitationes, & obseruationes, & (vt vocant) bonas intentiones seu conatus rationis, sine spiritu sancto, hoc est, sine vero timore & vera fiducia Christi.

Per spiritū intelligit motus spirituales, quos spiritus sanct⁹ excitat in cordib. nostris. Est igitur lex litera, quando imitamur eam bonis intentionibus aut externis moribus sine spiritu sancto, hoc est, sine vero timore, & sine vera fiducia. Est & Euangelium litera, cùm non apprehenditur spiritu, hoc est, cùm non verè timemus, nec verè credimus deo.

Porrò, Lex administratio mortis est, quia non promittit remissionem peccatorum gratis, nec adfert spiritum sanctum. Euangelium verò est administratio spiritus & vita, quia promittit remissionem peccatorum gratis, & donat spiritum sanctum & vitam æternam. Repudianda igitur est Origenis interpretatio, qui vocat literam grammaticum sensum, spiritum verò Allegoriam.

DE ABROGATIONE LEGIS.

Quid est abrogatio Legis?

EST *abolitio execrationis seu maledictionis Legis, per Christm facta, ita quòd nunc omnes qui credunt in Christum, liberati sunt à iure Legis, accusantis perpetuò conscientiam, & damnan-*

tis illam coram deo, propter imperfectam obedientiam. Galat 3. Christus nos redemit à maledictione Legis, dum pro nobis factus est maledictũ &c. Et Rom. 8. Nulla nunc condemnatio iis qui insiti sunt Christo. &c.

Sunt ne & impij liberati à Lege?

Minimè. Nam Paulus ait: Lex iniustis est posita, hoc est, incredulis, & illis qui nondum sunt sub gratia, vel qui nondum fide apprehenderunt Christum, neq; acceperunt spiritum sanctum, à quo reguntur. In his non minus Lex adhuc hodie exercet suum officium, accusando & condemnando illorum conscientias, quàm olim sub Mose. Nam Lex pædagogus noster est vsque ad Christum.

Quæ sunt causæ abrogatæ Legis?

I. Promissio Dei, quia Deus promisit hanc Legis abrogationem in Christo futuram. Hier. 31. Feriam domini Israel fœdus nouum. Non secundum pactum, quòd pepigi cum patribus vestris.

II. Infirmitas nostra occasionem abrogandæ Legis præbuit. Actor. 15. Quod nec patres nostri, nec nos portare potuimus.

Est ergo tota Lex abrogata?

Tota Lex est abrogata credenti, videlicet, vt Lex non habeat ius accusandi aut condemnandi eum. Habet enim aliud quo iustificatur quàm Legem.

Quare igitur non licet omittere Decalogum?

Respondeo. Euangelium affert spiritualem & æternam vitam, ideò retinet eam partem Legis, quæ docet qualis sit illa noua vita, & consentit cum Lege naturæ, quæ est ipsa notitia Decalogi. Quare Decalogus non sic intelligatur esse abrogatus, vt iam non debeat fieri, sicut cæteræ partes Legis, videlicet, ceremoniæ & iudicialia Mosi omittuntur, quæ sunt tantùm externæ ordinationes, pertinentes ad vitam corporalem.

Sed in ijs qui iustificantur, & accipiunt spiritum sanctũ, iam inchoatur noua obedientia spiritualis, quæ requiritur in Decalogo, seu Lege morali.

DE LIBERTATE CHRISTIANA, quæ est abrogatæ Legis effectus.

Quid est libertas Christiana?

EST libera assertio in regno spirituali per Iesum Christum, qua sumus liberi à seruitute ac ab execratione legali, à iure peccati & mortis, adeoq; ab omni externa obseruatione in negotio iustificationis coram Deo, quæ gratuitò datur credentibus propter Christum: Vel breuius sic: Est doctrina indicãs in quibus rebus propriè sit Christiana iustitia, & quid de ceremonijs sentiendum sit. De quibus omnibus ætatibus, infinitæ extiterunt disputationes.

Quot ſuut gradus libertatis christianæ?

Quatuor: Primus, quod non propter Legem, ſed gratis propter Chriſtum donatur remiſſio peccatorum, & imputatio iuſtitiæ. Hic gradus eſt præcipuus, nihil pertinens ad ciuilem vitam, ſed tantum ad certamen conſcientiæ in iudicio dei, in quo opus eſt hac conſolatione. De hoc gradu ait Chriſtus Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.

Secundus, eſt donatio ſpiritus ſancti, quo credentes iuſtificantur & reguntur, ac defenduntur aduerſus ſæuitiam diaboli. De hoc Paulus. 2 Corinth. 3. Vbi ſpiritus domini, ibi libertas.

Tertius, quòd Euangelium liberat nos à ceremonijs et iudicialibus Legibus Moſi. Hic gradus pertinet aliquo modo, ad vitam exteriorē, ſed habet cauſam in ſuperioribus. Euangelium enim non requirit Leuiticas ceremonias, quia docet nos gratis conſequi remiſſionem peccatorū, & iuſtos pronunciari per miſericordiam propter Chriſtum, non propter vllos cultus aut noſtra opera.

Quartus docet, quid ſit ſentiendum de Eccleſiaſticis ceremonijs, quas Epiſcopi aut alij homines inſtituerunt. Cùm enim in hac vita opus ſit certis ritibus, locis, ac temporibus permittit Euangelium in eccleſia fieri ordinationes, hoc fine, vt omnia in eccleſia ordine, & ſine tumultu gerantur. Ideo conſtituuntur certi dies, vt ſciat populus quando conuenire debeat ad audiendum verbum. Hæ traditiones

ditiones tolerandæ sunt, sed non est quærenda in illis iustificatio.

Ad quid prodest hæc doctrina de libertate christiana?

Ad multa. Si enim hæc doctrina non extet in Ecclesia, sequuntur multa incommoda.

Primùm, obscuratur iustitia fidei, cùm scilicet transfertur beneficium Christi in traditiones, hoc est, cùm homines putant se mereri remissionem peccatorum, & se iustos pronunciari propter tales obseruationes, ex qua persuasione ruunt conscientiæ in desperationem, & amittunt veram fidei & Christi notitiam.

Secundum, ineruditi fingunt tales obseruationes externas esse veros cultus & veram perfectionem: cùm tamen perfectio sint, timor, fides, dilectio, & opera vocationis.

Tertium, scinditur Ecclesiarum concordia, vt factum est de Paschate.

Quartum, si conscientiæ putent hos ritus esse necessarios, nūquā acquiescent. Quis enim vnquā obseruauit omnes traditiones humanas, quarū erāt tot summæ, tot libri, vt vix dinumerari possent.

Sed inquis, obedientia necessaria est, etiamsi potestas abutitur suo iure. Ait enim Christus: Super cathedram Mosi sedent Scribæ. &c. Quæcunque dixerint facite.

In his quæ sunt iuris diuini, conscientia necessa-

ria

riò debet obedire Pastoribus iuxta illud: Qui vos audit, me audit. In traditionibus verò ecclesiasticis debet eatenus obedire, vt scandala caueat, & ne quæratur in eis iustificatio, aut addatur opinio necessitatis. Cùm autem præcipiuntur, aut traduntur impia, tunc regula tenẽda est Apostolorum, Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.

Sed quid de ceremonijs à Christo institutis?

Hæ obseruari debent, quia habent mandatũ dei. Et tamen Euangelica libertas docet, quòd ceremonijs nõ iustificemur sine fide. Item, quòd necessitas excuset nos, si impediamur, quò minus vti illis ceremonijs possimus. Vt si aliquo casu non posset alicui contingere Baptismus, is si verè crederet in Christum, tamen sine ceremonia saluus fieret.

DE CONSILIIS.

Sunt ne consilia quoque in Euangelio à Christo tradita?

QVidam finxerunt in Euangelio esse consilia, de non vindicando, de paupertate, virginitate, castitate. Deinde dixerunt ea opera perfectionem esse. Sed hæc sunt plena errorum & superstitionum. Vna enim est Lex Dei, quæ nihil nisi præcepta continet & Christi prolixa concio, Math. 5. nihil aliud est, quàm Legis interpretatio. Christus enim id agit, vt ostendat in Lege

requiri perfectam obedientiam. Quare cùm odia, concupiscentiam, cupiditatem vindictæ prohibet, non adfert noua quædam consilia, sed ipsam Legem dei interpretatur, & præcepta tradit. Addit & pœnam æternam. Qui irascitur (inquit) fratri suo, reus erit iudicij. Item: Omnis qui videt mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.



DE VINDICTA.

Quid præcipit de vindicta?

PRohibet vindictam priuatam, hoc est, cupiditatem vindictæ, & eam vindictam, quæ fit sine autoritate magistratus: non tollit publicam vindictam, quæ exercetur per magistratum. Per euangelium enim non aboletur magistratus, sed multò magis confirmatur Roma. 13. Reijcienda est igitur hæc seditiosa opinio, quæ docet consilium esse de vindicta. Et prudenter tenendum discrimen publicæ & priuatæ vindictæ. Ait enim Dominus: Mihi vindictam, et ego retribuam.

Sed quid de hoc dicto: Vim vi repellere licet?

Euangelium non pugnat cum hoc dicto. Nam vim vi repellere, Iuris naturæ est, si modò rectè intelligatur: debet enim ad publicã vindictam, hoc est, ad officium magistratus accommodari Sic magistratus vim vi repellit, cùm latrocinia armis & gladio

gladio depellit. Quorsum enim opus esset magistratibus, si singuli priuatim vindictam exerceremus?

DE PAVPERTATE.

Quid præcipit de paupertate?

EVangelium neque præcipit, neque consulit, discedere à facultatibus, aut res in commune conferre, imò approbat politicas ordinationes, diuisionem rerum, & proprietatem. Cæterum euangelium præcipit liberaliter iuuare egentes, & præmia ingentia corporalia et spiritualia pro hac liberalitate pollicetur, sicut Christus ait: Date & dabitur vobis. Et 2. Corin. 9. Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictione &c. Salomon Prouerb. 5. pulchrè depinxit bonam partem Oeconomiæ: Bibe aquam (inquit) de tuis fontibus, & fontes tui foras deriuentur, & ripæ effluant in plateas. At tu Dominus esto horum solus, non alieni tecum, &c. Vult Salomon, vt quisque ex fructibus suis aut fortunis suis largiatur egentibus, sed ita vt fundum retineat, ne redigatur ad mendicitatem. Sic Paulus iubet largiri, ne egeamus ipsi, neue ignaui nostra liberalitate abutantur. Breuiter: Proprietatem rerum confirmant multa testimonia. Licet enim habere diuitias, vt testantur Christus & Paulus.

Quid est paupertas?

Paupertas non est mendicitas. Hæc enim in o-

tiosis & robustis peccatum est. 2. Thess. 3. Qui nō laborat, non manducet. Sed paupertas Euangelica est spiritualis, hoc est, tenere facultates, quæ Dei beneficio contingunt nobis, sine auaritia, sine superbia, id est, sine fiducia opum, sine impietate, hoc est, cùm periclitamur in confessione Euangelij, vt opes amittere malimus, quam abijcere Euangelium. Sic in summis opibus pauperes spiritu fuerunt, Abraham, Iob, Dauid, & multi alij. Complectitur paupertas patientiam, cùm scilicet eripiuntur, aut aliquo casu pereunt opes, ne tunc irascamur Deo, aut aliquid contra Dei mandatum faciamus, sed propter Deum æquo animo feramus hanc iniuriam, aut casum.

Quotuplex est desertio facultatum?

Duplex. *Altera fit nostra electione sine mandato Dei, & sine vocatione. Hæc desertio non est cultus dei, Math. 15. Frustrà me colunt mandatis hominum. Altera est, quæ habet mandatum Dei & vocationem, vt cùm Tyranni cogunt aut facultates amittere, aut ab Euangelio discedere, aut deficere. Hanc laudat Christus: Qui reliquerit (inquit) agrum, domum. &c. propter Euangelium, hoc est, propter confessionem Euangelij, centuplum recipiet, &c. Marc. 10. Breuiter, sicut Christus non laudat eos, qui deserunt coniugem et liberos, aut qui sibiipsis vitam eripiunt, ita non laudat deserentes patrimonia sine mandato Dei.*

DE

DE CASTITATE.

Quid præcipit de castitate?

EUangelium non solum præcipit castitatem virginum, sed etiam coniugum. Nam & coniugiū est diuina ordinatio, & omnes qui non continent, mandatum habent, vt coniugio vtantur. 1.Cor.7. Propter fornicationem vnusquisque habeat vxorem suam.

Quid est castitas?

Castitas non est tantum virginitas, sed etiam coniugum moderata consuetudo. Sic Heb.13. Honorabile cōnubium apud omnes, & thorus immaculatus. Fornicatores autem & adulteros iudicabit Dominus.

Tamen Paulus ait: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.

Paulus non sentit aliquos magis mereri iustificationem propter virginitatem, quàm propter coniugium. Utrique enim, & coniuges & virgines, statuere debent, se per misericordiam Dei iustos esse, & acceptos propter Christum, non propter dignitatem coniugij, aut virginitatis.

Quid igitur Monachi extollunt & præferunt Cœlibatum?

Semper fuêre fanatici spiritus, qui negarūt coniugium concessum Christianis, vt Tatianus, Hierax. Etsi Monachi nolunt videri damnare coniugium

gium, tamen valde deformant: somniant enim se magis mereri remissionem peccatorum, & iustificationem suo cœlebatu, quàm reliquos homines. Deinde fingunt illum cœlibatum perfectionem esse Euangelicam, in quo vehementer errant. Fuerunt enim perfectiores multi coniuges, Abraham, Isaac, Iacob, Dauid. &c quàm pleraq; virgines. Non est cœlibatus perfectio, sed perfectio Euangelica est, agnoscere humanam imbecilitatem, perterrefieri, & econtrà fide erigi. In talibus exercitijs versatur perfectio Euangelica, siqua est sic vocanda.

Cur ergo laudat & suadet Paulus virginitatem & cœlibatum?

Propter politicum finem, scilicet, vt expeditiores simus ad discendum, docendum, & obeunda ministeria Ecclesiastica. Sic Christus laudat cœlibes, cùm ait. Math. 19. Sunt & Eunuchi qui se castrauerunt propter euangelium, hoc est, discendi & docendi causa. Nam verum est quod Paulus ait: Cœlebs curat ea quæ sunt Domini, vt Domino placeat. Explorent igitur cœlibes suas vires, & studeant, vt purè viuant, caueant otium & luxũ, & adhibeant abstinentiam, & animus sit intentus studijs. Qui verò ruunt in libidines cõtra præceptum Dei, sciant se Deo pœnas daturos esse. Fornicatores enim, & adulteri, nõ intrabunt in regnũ Dei. Sæpe istorum hominum causa plectitur vniuersa Respublica, sicut testatur Sodomorum historia, & diluuium. Item, Deus inquit se Chananæos deleturum

deleturum esse propter vagas libidines. Paulus quoque ait, libidinum pœnas esse cæcitatem & amentiam. Rom.1, & carnalē securitatem, Ephe.4. Et Oseas ait: Fornicatio, vinum, et ebrietas, auferunt cor. Sunt ergo isti fucati cœlibes scandalo multis, et autores turpis exempli.

DE ECCLESIA.

Quid est Ecclesia?

EST congregatio omnium illorum qui profitentur euangelium, & non sunt excommunicati, in qua sunt promiscuè boni & mali, sicut parabola de verriculo in mari iacto docet, Math.13. Hinc etiam in scripturis describuntur duo corpora ecclesiæ, alterum corpus veræ ecclesiæ, alterum hypocriticæ ecclesiæ.

Quando incœpit Ecclesia?

Certum est Ecclesiam tempore Adæ cœpisse, & post Adam apud omnes euangelij professores in hunc vsque diem stetisse, et adhuc stare apud eos qui illud profitentur.

Quotuplex est Ecclesia?

Duplex. *Hypocritica et vera.*

Quæ est hypocritica Ecclesia?

Est quæ gerit bellum cum vera ecclesia, sicut Iudæi persequebantur Prophetas, deinde Christum. Hanc vocat David ecclesiam malignantium. Et Esaias describit eam his verbis cap.29. Appropin-

quat mihi populus ore suo, & labijs me honorat: cæterùm cor eorum longè abest à me, sed frustra me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Hæc Ecclesia exposita est oculis, quia omnia illius opera, omnis cultus, quo credit se Deum colere, externus est, species, & larua est puræ Ecclesiæ, humanis traditionibus, loco sinceræ doctrinæ, ore & labijs tantum, sine adfectibus cordis Deum colens.

Quæ est vera Ecclesia?

Est congregatio iustorum, qui verè credunt Christo, & sanctificantur spiritu Christi. De hac Paulus 1. Timot. 3. Ecclesia est columna & sedes veritatis. Hæc dicitur catholica, quia non est humana aliqua politia, vni loco, aut certis ceremonijs humanis alligata, sed est spiritualis cœtus piorum, qui passim in mundo dispersi sunt, & tamen omnibus temporibus de doctrina Euangelij conueniunt.

Hanc describit Paulus his verbis, Ephesiorũ. 5. Christus dilexit Ecclesiam, adeò, vt seipsum exponeret pro illa, vt eam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per Verbum, vt exhiberet eam sibi ipsi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, & vt esset sancta atque irreprehensibilis. Hæc Ecclesia non est exposita oculis, sed creditur, iuxta articulum Symboli: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem. Habet autem certas notas, quibus agnoscitur, nempe purum verbum Dei, & legitimum vsum Sacramentorũ, & claues quibus vtitur in ministerio Verbi & sacra-

cramentorum.

Quid verò ſentiendum de Excõmunicatis?

Excommunicati pars Eccleſiæ eſſe deſierunt, Iuxta illud. Math. 18. Quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut ethnicus & publicanus.

Quod eſt diſcrimen inter Eccleſiam hypocriticam & veram?

Quantum intereſt inter veritatem & ſimulationem, inter ſpeciem veri & res ipſas, inter fucum & natiuum colorem, tantum intereſt inter veram & hypocriticam Eccleſiam. Certum eſt enim hypocritas habere idem Euangelium & eadem Sacramenta. Sed his non ſunt contenti, verùm effingunt humanas traditiones, quas conferunt cum euangelio, adæquant, ſæpe vltrà extollunt, non verè ſuſcipiunt euangelium. Hi corde non credunt, neque adhærent, ſed tempore procellarum recedunt, neque ſubſiſtere poſſunt. Eſt & apud hypocritas impurus Sacramentorũ vſus, aliud caput quàm Chriſtus, à quo petunt ſuam iuſtitiam, ſanctificationem, ſuſtentationẽ. Spiritu ſancto vtuntur non aliter atq; pallio, quo oppalliant & tegunt impiam ſuam doctrinam, quæ diſſipat & perturbat conſcientias, id quod ſanè ſpiritus ſancti opus non eſt, qui congregat conſcientias & conſolatur. Breuiter: Hypocritica eccleſia larua eſt, externa ſpecies eſt, fucus eſt, prætextus eſt, impudens tamen æmula, & ſine ſcientia veræ eccleſiæ.

DE

DA POTESTATE Ecclesiastica.

Quid est clauis, seu potestas Ecclesiastica?

EST qua consistit in docendo Euangelio, administratione Sacramentorum, et in excõmunicandis illis, qui publicis criminibus sunt obnoxij, ijsq; rursus absoluendis, vbi petunt absolutionem. Vel, est œconomica quædam administratio, quæ constat non vi corporali, sed tantum verbo. Regnum enim Christi spirituale est, quod non regitur gladio, armis & alijs rebus, ad ciuile regnum pertinentibus. Christus enim, huius Ecclesiasticæ potestatis autor et institutor, omnem ciuilem administrationem à se, et à suis discipulis transtulit ad principes mundi. A se, quia noluit se eligi in Regem, sed aufugit. Ab Apostolis, dum inquit: Principes gentium dominantur eis, vos autem non sic.

Quotuplex est potestas Ecclesiastica?

Duplex. *Ordinis et Iurisdictionis.*

Quæ est potestas Ordinis?

Est mandatum docendi Euangelium, & annunciandi remissionem peccatorũ, & impertiendi Sacramenta singulis aut pluribus. Hic non licet comminisci nouam doctrinam, sed proponenda est doctrina à Christo tradita. Quemadmodum præcipit Math. vltimo: Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et Paulus Gal. 1. Si Angelus de cœlo aliud docuerit, quàm nos docuimus, anathe-

anathema ſit.

Quæ eſt poteſtas iuriſdictionis?

Eſt poteſtas excõmunicandi obnoxios publicis criminibus: & rurſus eos abſoluendi, ſi conuerſi petunt abſolutionem. Hæc poteſtas non debet eſſe tyrannica, ſed ſicut Chriſtus docuit Math. 18. Si Eccleſiã non audierit, ſit tibi velut ethnicus. Et Paulus. 2. Corinth. 1. Non dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri.

Quid differunt poteſtas Eccleſiaſtica & politica?

Poteſtas politica, ſiue ciuilis, fert leges de defenſione corporum, de diſtinctione dominiorum, de cõtractibus, de criminibus, et coercet homines vi corporali. Contrà poteſtas Eccleſiaſtica impertit res æternas & ſpirituales, hoc eſt, habet doctrinã cœleſtem, & coërcet homines verbo. Quare non improbat neque abolet poteſtatẽ ciuilem, imò approbat eam & ſanctorum corpora ei ſubijcit.

Quando accepit Eccleſia claues?

Quando Chriſtus dixit Petro, Math. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum. Et Math. 18. Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. &c. Et Ioan. 20. Accipite ſpiritum ſanctũ, quorum remiſeritis peccata. &c.

Valétne miniſterium malorum miniſtrorum?

Imò valet. Nam verbum & ſacramentũ non ſunt miniſtri, ſed Chriſti quæ ſi ritè adminiſtrãtur, miniſtri

nistri malitia nihil nobis oberit. Et vulgo dicitur: Vim sacramenti non mutat vita ministri.

Sacramentorum administratio non est irrita, etiamsi mores ministrorum sint vitiosi. Hoc tamen intelligendum est de malis, non de apertè blasphemis, ut Iudæis aut Turcis, quibus ecclesia nullum ministerium mandauit.

Debetur ne ministris Ecclesiarum obedientia?

Sicut verbo Dei, ita ministris verbum Dei docentibus, quod ad ministeriũ attinet, debetur obedientia, sicut præcipit scriptura: Qui vos audit, me audit. Luc. 10 Quicquid dixerint, facite, Mat. 23 Item: Obedite præpositis vestris. Hebr. 13.

Hæ sententiæ loquuntur de ministerio, & requirunt obedientiam debitam ipsi euangelio: non constituunt autẽ regnum doctoribus, extra euangelium. Deinde debetur eis quoque obedientia in Iurisdictione, quam habent iuxta euangelium, videlicet, in cognitione criminum, audiendis testibus in legitima excommunicatione. &c.

Quid verò in ceremonijs contendis, nunquid & in his debetur pastoribus obedientia?

Imò. Nam pastores habent autoritatem ordinandi ceremonias hoc fine, ut ordine gerantur res in publico ecclesiæ cœtu, sicut Paulus ordinat, ut mulieres tegant capita, & ecclesia initio diem dominicum, & alios quosdam dies festos constituit, ut certa essent docendi tempora. Sed hæ ordinationes

tiones non debent superstitiose intelligi: non enim sunt iustitia, seu cultus necessarij ad iustitiam: sed ut re ipsa res adiaphora, quæ extra scandali casum omitti possunt sine peccato. His itaq; traditionibus debetur obedientia, quod ad casum scandali attinet, extra casum scandali conscientiæ sunt liberæ.

DE SCANDALO.

Quid est Scandalum?

E*ST offensio, qua alterius animus perturbatur, hoc est, vel deterretur, vel incitatur ad imitationem. Vel est offensio seu deprauatio doctrinæ, & vitæ, seu fidei, & charitatis.*

Quotuplex est scandalum?

Duplex. *Acceptum & Datum.*

Quid est scandalum acceptum?

Est cùm vel recta doctrina, vel necessario facto Pharisæi & Hypocritæ offenduntur, & concipiunt odia Euangelij & piorum. Ut Pharisæi oderunt Euangeliū & euangelij doctores. Hoc Pharisaicum scandalum non est vitandum, excusat enim nos mandatū Dei, sed præstandum est, ut doctrina sit vera, certa, & utilis ecclesiæ. Grauissimū enim peccatum est ecclesiam Dei perturbare malis, incertis & inutilibus disputationib. Exempla.

Pharisæi & Scribæ offendebantur, cùm sanaret Christus ægros in sabbato, cùm discipuli non lauant manus, cùm euellunt spicas. Sic nostri hypocritæ offenduntur, dum vident quòd non amplius

permit-

permittimus consecrare aquam, sal, cereos, herbas &c. Hic mandatum Dei excusat pios, habent enim mandatum Dei de sana ac recta doctrina. Item de necessarijs operibus quibus iuuatur proximus. Huic obediendum est simpliciter, neq; curādi sunt homines hypocritæ. Iuxta illud: Oportet Deo magis obedire quam hominibus.

Quid est scandalum datum?

Est impia doctrina, aut malum exemplum, quod nocet alijs, siue quia imitantur, siue quia deterrentur homines ab Euangelio. Huius generis scandala sunt omnia impia dogmata, traditiones humanæ, quæ sine peccato non possunt obseruari. Horū scandalorum autoribus minatur Christus. Math. 18. Væ homini, per quem scandalum venit. Sunt igitur hæc scandala summa vigilantia cauenda, ne vel autores, vel suffragatores impiæ doctrinæ simus, nec imitatores impiorum cultuum.

Quid autem agendum est in rebus indifferentibus?

Hic tenenda est regula Pauli, de vsu libertatis. Sic enim præcipit doctis, Rom. 14. Infirmum in fide suscipite. Item, Omnia fiant ad ædificationem. Non enim vtendum est libertate apud illos, qui nondum audierunt Euangelium, aut apud fratres nondum satis confirmatos. Sed sequendum est exemplum Pauli: Factus sum (inquit) infirmus infirmis. Item: Si esca offendit fratrem, nunquam manducabo carnem. Vbi autem iam inclaruit Euange-

nange-

uangelium, & mediocriter confirmata est Ecclesia, nō est acerba obseruatio inutilium traditionū requirenda. Paulus enim vt ostenderet exemplum libertatis, noluit circumcidere Titum. Et Christus excusat Apostolos, violantes traditiones Seniorum. Sinite eos, ait, caeci sunt, & duces caecorum.

Quæ sunt cauenda in Ecclesijs ne suboriantur scandala?

Hæc tria, Primum, *ne impia, aut incerta, aut inutilia doceamus.*

Secundum, *cùm certa doceamus ne ita confusè tradamus, vt auditores in tanta confusione malas concipiant opiniones.*

Hîc maximè adhibenda est diligentia, vt omnia sine sophistica explicentur, aptè, propriè, disertè, & distinctè. Ideo Paulus vult Episcopum esse didacticum, vt aptè & propriè doceat. Et Christus vult Scribā in regno cœlorum similem esse bono patrifamilias, qui prudenter eligat & proferat de thesauro suo in docendo noua & vetera. Nisi enim hanc prudentiam adhibeant doctores, perturbātur conscientiae, & obrepunt animis prauae opiniones, nociturae religioni & moribus, & oriuntur tumultus, & pleraque alia scandala.

Tertium, *ne facilè mutemus vsitatos mores, qui tolerari possunt. Publicorum enim morum violatio facilè excitat magnos tumultus.*

Item, ne nostra exempla alijs noceant & negligentiores reddant, nè ve praebeamus occasionē dis-

sidijs

sidijs aut factionibus sine necessaria causa. Si quis enim hoc modo traditiones violat, peccat.

DE SACRAMENTIS.

Quid est sacramentum?

EST promissionis diuinæ signum, à Deo institutum. Constat autem elemento & verbo, vt extet memoria promissionis.

Quot sunt sacramenta?

Tria. Baptismus, Cœna Domini, & Absolutio. Hæc habent præcipuam promissionem in Euangelio de remissione peccatorum.

Sunt ne alia sacramenta?

Si Sacramenta vocamus opera, quibus addita sunt promissiones diuinæ, tunc multa possunt numerari sacramenta, vt oratio erit sacramentum: Est enim quoddam opus nostrum, & magnificas habet promissiones: Ioan. 16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Sic adflictiones, & eleemosynæ erunt sacramenta, quia sunt opera ornata diuinis promissionibus. Vt, Date, & dabitur vobis. Item, Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cœlorum. Sic Magistratus & matrimonium, sunt res externæ, ornatæ verbo Dei & promissionibus. Si verò Sacramenta vocamus ceremonias, seu ritus in Euangelio institutos, propriè ad præcipuam promissionem Euangelicam de remissione peccatorum pertinentes, tantum tria sunt, Baptismus, Cœna Domini

&

& Absolutio.

Variantne sententiæ de Sacramentis?

Maximè. Sunt enim quatuor opiniones.

I. Scholastici fingunt homines utentes Sacramentis Noui testamenti, ex opere operato iustos fieri. Hæc opinio explodenda est, pugnat enim cum iustitia fidei. Sentiunt enim hominem fieri iustum propter illius ceremoniæ usum, etiamsi non credat, imò si nullum bonum motum cordis addat, modò non ponat obicem, id est, ne habeat actuale propositum peccati mortalis.

II. Alij dicunt Sacramenta non esse signa voluntatis Dei erga nos, sed tantum notas nostræ professionis, quia oportet extare notas, quibus discernamur à reliquis gentibus, sicut vestitus forma discernit Monachos.

III Anabaptistæ dicunt Sacramenta esse allegorias quasdam bonorum operum. Sic interpretantur baptismũ signum esse adflictionum, quòd oporteat christianos subire fluctus et pericula omnis generis. Sic cœnam domini faciunt mutuæ beneuolentiæ signũ. Nam symposia apud omnes gentes sunt signa mutuæ beneuolentiæ. Sic circumcisionẽ interpretantur fuisse signum coërcendarum cupiditatũ. Sed & hæ duæ opiniones repudiandæ sunt, quia tantùm docẽt de minus principalib. seu accessorijs finibus; scilicet de politico, seu ciuili & allegorico, non docent de proprio et spirituali usu baptismi.

IIII. *Vera igitur scripturæ sententia est, quòd Sacramenta noui testamenti sunt signa visibilia voluntatis Dei erga nos, incurrentia in oculos, vt nos admoneant, vt credamus promissioni in Euangelio propositæ. Augustinus inquit: Sacramentum est verbum visibile, hoc est, sicut verbum est nota quadã quæ auribus accipitur, ita sacramentũ est spectaculum seu pictura quæ currit in oculos. Sicut verbũ est instrumentum, per quod spiritus sanctus efficax est, vt Paulus inquit, Roma.1. Ita per sacramenta spiritus sanctus efficax est, cùm fide accipiuntur, admonent enim & mouent ad credendum, sicut verbum.*

Cur Christus instituit Sacramenta?

Propter nostram infirmitatem. Humanus enim animus post lapsum Adæ multò imbecilior est, quã vt possit simplici verbo credere. Ideo nostra infirmitate, motus est Christus: signa verbo adiecit, quò nostræ infirmitati mederetur, et vt mutua quadam verbi & signorum cohærentia, duceremur ad fidem erga promissiones Dei, teste Augustino, vbi ait: Homo ante peccatum videbat Deum, intelligebat & fidebat illi. Post peccatum, homo Deum capere non potest, nisi medio aliquo adiutus. His signis adijcitur & verbum, iuxta illud: Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum.

DE BAPTISMO.

Quid eſt Baptiſmus?

EST ſignum, ſiue ceremonia à Chriſto inſtituta, videlicet, lauari ſeu ablui aqua, & pronunciatio verborum ordinata ad hoc, vt teſtetur nos recipi à Deo, et reconciliari Deo.

Vbi inſtitutus eſt Baptiſmus?

Mathæi et Marci vltimo: Euntes in mundum vniuerſum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti. Qui crediderit et baptizatus fuerit, ſaluus erit.

Ad quid eſt inſtitutus?

Vt credamus certò nobis peccata condonata eſſe. Eſt enim Baptiſmus teſtimonium & ſignum remiſſionis peccatorũ, et donationis ſpiritus ſancti.

Hinc veteres quoque Sacramenta vocant ſigna gratiæ, hoc eſt, ſigna voluntatis Dei erga nos. Cùm enim baptizamur, ſcribitur promiſſio dei in corporibus noſtris.

Quid ſignificat Baptiſmus?

Pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, ſiue, vt Paulus ait, regenerationem. Nam immerſio ſignificat veterem hominem mori cum peccato, & emerſio, ſiue reditus ex aquis, ſignificat nouum hominem ablutum & reconciliatum Deo Patri, Filio, & Spiritui ſancto. Pater enim recipit te propter Filium, & pollicetur tibi Spiritum ſanctum, quo te viuificabit & ſanctificabit.

Quis est vsus baptismi?

Ut per omnem vitam statuamus nobis propositam et donatam esse remissionem peccatorum, et reconciliationem. Nam etiam cùm lapsi sumus, valet pactum in resipiscentibus, quo iam olim cum Deo pacti sumus, quia euangelium testatur, resipiscentibus ignosci.

Potest ne Baptismus iterari?

Ipsum signum non debet iterari, quia iteratio ceremoniæ nihil prodest, et signum semel acceptũ est perpetua nota, et perpetuum testimonium. Sicut circumcisio semel facta, erat perpetuũ testimonium pacti diuini, scriptum in corporibus circumcisorum. Porrò fidem huius pacti, crebra meditatione debemus exercere et conseruare, quoad viuimus. Hinc dicitur, pœnitentiam nihil aliud esse, quàm recordationem baptismi.

Quid interest inter baptismum Ioannis & Apostolorum?

Vterque baptismus est ministerium noui testamenti, et requirit fidem in Christum. Baptismus Ioannis testabatur Christum venturum: Baptismus Apostolorum, iam exhibitum Christum, et ea fide pariter sanctificabantur & saluabantur baptizati tum à Ioanne, tum ab Apostolis.

Quòd autem Joannes ait: Ego baptizo aqua ad pœnitentiam, qui autem post me venturus est, baptizabit spiritu sancto et igni, non discernit mi-

nisteria

nisteria vel ceremonias, sed discernit personas ministrorum à persona Christi. Testatur enim Christum esse dominũ, per quem baptismus fit efficax, qui daturus sit spiritum sanctum, & vitã æternã, & profitetur se ministrum esse, qui tantùm adhibeat externum signum, & prædicet verbum.

DE BAPTISMO PARVVLORVM.

Proba, quòd infantes sint baptizandi.

I. Christus ait Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Hæc sententia est vniuersalis, & testatur omnes saluandos oportere renasci ex aqua, hoc est, baptizari. Ergo necesse est & infantes baptizari, vt saluentur.

Item, vniuersale mandatũ est, Euntes baptizate omnes gentes, &c. Ergo etiam pueros cõplectitur.

II. Ex traditione Apostolorum. Sic enim scribit Origenes in sextum caput ad Romanos: Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis dare baptismum Sciebant enim illi, quibus secreta diuinorũ mysteriorum cõmissa sunt, quòd essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & spiritũ aboleri deberent. Sic Cyprianus & Augustinus probant baptismum paruulorum.

III. Ex ratione ducta ex scriptura: Certum est regnum Dei & Euangelij promissionem ad pueros pertinere. Sed extra ecclesiam nõ est salus.

Ergo pueri inserendi sunt ecclesiæ, & adhibendum est signum, quòd testatur ad eos pertinere promissionem. Maior certa est, Christus enim dicit: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum. Item: Non est voluntas coram patre meo, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Item, angeli eorum semper vident faciē patris. Minor nota est: Nō enim est salus extra ecclesiam, vbi neq; verbum, neq; sacramenta sunt. Ecclesia enim est regnum Christi, in qua Christus est efficax per verbum & per sacramenta. Sequitur ergo conclusio, pueros baptizandos esse, vt accepto signo membra fiant Ecclesiæ, & Deus promissionem suam eis impertiat.

Sed obijciunt Anabaptistæ, dicentes: Infantes cùm non intelligant verbum, non possunt credere, quare nihil prosunt eis sacramenta.

Huic argumento primùm opponendum est exemplum infantium circuncisorum, qui etiam non intelligebant verbum, & tamen valebat pactum, & placebant deo propter pactum.

Secundò respondendum est, etiamsi non intelligunt verbum, tamen certum est, quod deus in eis sit efficax. Iuxta illud: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Nec nostrū est scrutari, quomodo deus in eis agat. Hoc satis est scire, quod certum est salutem & regnum Dei ad infantes pertinere, vnde sequitur deum in eis efficacem esse.

DE COENA DOMINI.

Quid est Cœna Dominica?

EST Sacramentum ab ipso Christo institutũ, in quo datis his rebus, pane & vino, & addito verbo institutionis Christi, verè exhibetur nobis corpus et sanguis Christi, hoc fine vt qui habeãt fidem in hæc verba promittentis Christi, (quod pro vobis dabitur et effunditur in remissionem peccatorum) accipiant omnium suorum delictorum cõdonationem.

Quibus nominibus vocatur Sacramentum Cœnæ Dominicæ?

Variæ sunt appellationes huius sacramenti. Paulus vocat Cœnam Domini 1. Corinth. 11. Vocatur et Synaxis, *communio. quòd communis cœna esset congregationis in ecclesia. Vocatur et* Eucharistia, *gratiarũ actio, quòd vtentes hæc cœna, agnoscant beneficium Christi, et gratias agant Deo. Vocatur & Testamentũ, in quo donatur nobis remissio peccatorum propter Christum, cuius mortem quoq; donec veniat, annunciare debemus. Iuxta illud: Hoc facite in meam commemorationem.*

Dic verba cœnæ Dominicæ.

Dominus noster Iesus Christus, in ea nocte qua traditus est, accepit panem, & cùm gratias egisset, fregit, ac dedit discipulis suis, dicens: Accipite & comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Hoc facite in mei commemorationem.

Similiter & calicem accepit, postquam cœnauit: & cùm gratias egisset, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic calix Nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis in mei commemorationem.

Ad quid est instituta?

Vt nos admoneat beneficij Christi, & fides in nobis excitetur. Christus enim testatur ad nos pertinere beneficium suum, cùm nobis impertit suum corpus, & nos sibi adiũgit tanquam membra, qua non potest alia coniunctio cogitari propior: dat etiã sanguinem, vt testetur se nos abluere.

Hic est principalis finis huius cœnæ, videlicet, vt sit signum promissionis, admonens nos & testificans nobis cõtingere beneficia Christi, ideoq; valet ad excitandum & confirmandam fidem.

Postea accedant & alij fides, gratiarũ actio pro tanto beneficio, item vt excitemur ad bene operandum, & cauenda peccata, quia audimus nos iam factos esse membra Christi, & Christum velle in nobis efficacem esse. Debet etiam sequi fructus charitatis, vt inuicem tanquam membra coniuncta in Christo præstemus officia dilectionis.

Quis est igitur vsus salutaris huius cœnæ?

Cùm ea vtentes addimus fidem, qua credimus

nobis

nobis verè contingere beneficia promissa à Christo, videlicet, remissionem peccatorũ. & quòd verè inseramur Christo, quodq́; ipse in nobis velit esse efficax, tanquam in suis membris. Hæc fides facit vt prosit nobis vsus Sacramẽti, & consolatur conscientias. Nec prodest vsus ceremoniæ sine hac fide, sicut interdum imperiti imaginantur, se ipso opere sumptionis, hoc est, tantùm ideò, quia cum alijs accedunt, & vtuntur Sacramento, consequi remissionem peccatorum: Quemadmodũ Scholastici docuerunt Missam valere ex opere operato.

Argumentor contra hoc, quod dicis, vsum cœnæ certificare conscientiam, & confirmare fidem.

Nulla res externa, sed solus spiritus sanctus confirmat fidem. Vsus cœnæ est res seu opus externum. Ergo hoc opere non confirmatur fides,

Respondeo ad maiorem. Verum est, quòd solus spiritus sanctus certificat & confirmat fidem, sed tamen vtitur externis signis, tanquam instrumentis, quibus admonet nos, & per illa velut testimonia & sigilla excitat & confirmat fidem, non secus ac per verbum vocale admonet, monet, & excitat corda ad credendum. &c.

Quæ est digna præparatio, & quibus dandum est hoc Sacramentum?

Hi accedunt & sumunt dignè, qui agentes pœnitentiam, & perterrefacti, ac quærentes consolationem, credunt sibi remitti peccata, iuxta promissionem

sionem Christi: et ad confirmandam hanc fidem vtuntur hoc Sacramento tanquam testimonio remissionis peccatorum. Et quia hoc Sacramento vti debent qui agunt pœnitentiam, ideò Ecclesia olim arcebat à communione obnoxios manifestis criminibus. Neq; admitti debent, qui palam sunt criminosi, nec volunt agere pœnitentiam.

Quid interest inter Sacramentum & Sacrificium?

Sacramentum ceremonia est, signum promissionis, per quod Deus aliquid nobis promittit aut exhibet. Sic circumcisio erat signum, quo pollicebatur Deus se recipere circuncisos. Baptismus est signum, quo Deus nobiscum agit, & recipit nos in gratiam, & quasi baptizat nos ipse. Nam minister vice Christi baptizat.

Sacrificium est ceremonia, vel opus nostrum, quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus, hoc est, testemur nos agnoscere hunc ipsum, cui hanc obedientiam præstamus, verè esse Deum, ideoq; nos ei hanc obedientiam præstare.

DE SACRIFICIIS.

Quot sunt species sacrificij?

DVæ. Quoddam est sacrificium Propitiatorium. Alterum Eucharisticum.

Quid est sacrificium propitiatorium?

Est opus quod meretur alijs remissionem culpæ & pœnæ æternæ, seu opus reconcilians Deum, & placans

placans iram dei pro alijs, satisfactorium pro culpa & pœna æterna. Estq; vnum tantùm sacrificium propiciatorium, videlicet, passio seu mors Christi. Hebræorum nono.

Quædam sacrificia in Lege dicebantur propitiatoria, non quòd mererentur remissionem peccatorum coram Deo, sed quia significabant futurum Christi sacrificium.

Quid est sacrificium Eucharisticum?

Est quod non meretur remissionem peccatorum, aut reconciliationem, sed fit à reconciliatis, vt pro accepta remissione peccatorum, & pro alijs beneficijs Deo gratias agamus, seu gratias referamus hac nostra obedientia.

Quæ sunt sacrificia Eucharistica seu laudis?

In Lege fuerunt, oblatio, lauatio, retributio, primitiæ, decimæ. &c. Nunc sunt fides, prædicatio Euangelij, inuocatio, gratiarum actio, confessio, crux, humiliatio, adflictiones sanctorum orationes, item omnia opera bona sanctorum. Hæc sacrificia non sunt satisfactionis pro facientibus, vel applicabilis pro alijs, quæ mereantur eis ex opere operato remissionem peccatorũ, & reconciliationem, sed placent Deo propter fidem. De hoc genere sacrificiorum sunt multæ sententiæ in Prophetis & Psalmis. Psalm. 51. Sacrificium deo spiritus contribulatus. Psal. 46. Immola deo sacrificium laudis. Et Petrus ait: Vos estis genus electum, sacer-

dotium

dotium sanctum, vt offeratis hostias spirituales. Et Hebr. 13. Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, fructum labiorum, confitentium nomini eius, hoc est, inuocationem, gratiarum actionem, confessionem, & similia. In Nouo enim testamento abrogati sunt Leuitici cultus, & debet succedere cultus spiritualis, hoc est, Iustitia fidei, & fructus fidei. Iuxta illud: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Ioan 4.

DE CRVCE, ET afflictionibus?

Quid est Crux?

EST afflictio à Deo nobis imposita, non vt nos perdat, sed vt ad pœnitentiam reuocet, & fidem nostram exerceat. Vel, est quæuis afflictio quæ certo consilio, & bona voluntate Dei imponitur, vt ea probetur fides sanctorum, cognoscatur charitas Dei, & magnifica liberatione illustrentur pij coram persequutoribus.

Sunt autem afflictiones, vt dictum est, sacrificia laudis, non tamen applicanda pro alijs: Iuxta illud Pauli: Vnusquisque mercedem accipiet iuxta suum laborem, Item Abacuc, Iustus sua fide viuet.

Quomodo consolabimur nos in Cruce & Afflictionibus?

In omni genere afflictionem debemus habere in promptu quatuor præcipuas consolationes.

Primò,

Primò, *nos non affligi casu, sed consilio & permissione Dei. Huc pertinent sententiæ de prouidentia. Math. 10. Non cadet vnus de passerculis super terram sine voluntate patris, imò capilli vestri omnes numerati sunt. Et. 1. Reg. 2. Dominus mortificat & viuificat.*

Secundo, *quòd Deus non sinit nos affligi, vt perdat, sed vocet ad pœnitentiam, & fidem nostrã exerceat. Sic Paulus 1 Corin. 11. Cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Item, Proue. 3. Quem diligit dominus, corripit. Heb. 11. Flagellat omnem filium, quem recipit. Apocalip. 3. Ego quos diligo castigo. Et Dauid, Bonum mihi quia humiliasti me. Et Christus, Beati qui lugent. Væ vobis qui nunc ridetis. &c.*

Tertiò, *ne (cùm videmus impios viuere in maximis opibus & delitijs, nos verò interim omnibus miserijs opprimi) irascamur & indignemur, sed æquo animo obediamus Deo, scientes quòd ista afflictiones non sunt signa iræ aut reprobationis, sed vt fiamus membra similia imaginis Christi. Sic Paulus Rom. 8. Si cõpatimur conregnabimus: oportet nos conformes fieri imagini filij Dei. Et Petrus ait: Iuditiũ à domino Dei incipit. Et Christus inquit: Qui vult me sequi, tollat crucem suã. Et Paulus: Omnes qui pie volunt viuere, persecutionem patientur. Et Dauid: Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. &c.*

Quartò, *vt in his omnibus apprehendamus &*

teneamus fidem, quòd ſcilicet deus nobis adfuturus ſit, & opem laturus, & pro ſua ſapientia & bonitate aliquando liberaturus. Et hac fide inuocandus eſt deus, ſæpè enim à deo affligimur, vt habeamus occaſionem exercendæ fidei & inuocationis. Et per ipſam occaſionem notitia dei fit illuſtrior, & creſcit in nobis, ſicut docet exemplum Manaſſe Regis 2. Paral. 33. Qui poſtquam adflictus eſt, orauit dominum, & deus exaudiuit eum, & agnouit Manaſſe, quòd Dominus eſt Deus. Quæ notitia Dei ſæpè in ocio & voluptatibus & ſecundis rebus extinguitur. Sicut docet exemplum filiorum Iſraël. Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexit ad ludendum.

Cur inculcat nobis ſcriptura tam diligenter has conſolationes?

Vt aſſuefaciamus animos ad veram pœnitentiã, & diſcamus tolerare aduerſa, & exerceamus obedientiam & fidem, & maximè tunc reprimamus animi motus, cùm iniuria laceſſiti incendimur cupiditate vindictæ: Sic Eſaias: In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Et Chriſtus ait: In patientia veſtra poßidebitis animos veſtras. Luc. 21.

Quæ eſt vera patientia?

Eſt non ſolùm obedire Deo in adflictionibus, ſed etiam indignationem infirmæ naturæ vincere, aut certè repugnare. Et hac virtus neceſſaria eſt in Eccleſia & republica, videlicet, priuatum dolorem

condo-

condonare tranquillitati publicæ, ne in Ecclesia discordiæ excitentur, propter priuatas simultates. Instituamus potius animo omnes cruciatus perpeti, quàm propter priuatam iniuriam perturbare publicam tranquillitatem.

Quid verò agit mali impatientia?

Impatientia irascitur Deo: Et primùm obedientiam, deinde & fidem ex animis expellit. Itaq; in magnis afflictionibus multi fiunt prorsus blasphemi, & quærunt consilia contra mandatum dei. Sicut Saul consuluit veneficam. Gignit & dolor iniuriæ odiũ, & incitat ad vindictam. Qua ex re sæpe veniunt non solùm priuatæ dissentiones, sed etiam seditiones & publici motus. Item, hæreses, & multa mala. Hæc à Christiano procul absint.

DE HVMILIATIONE.

Quid est humiliatio?

HVmiliatio erga Deum, est verus timor Dei, quo territæ iuditio Dei conscientiæ, abyciunt omnem fiduciam suarum virium, suæ sapientiæ, seu iustitiæ &c.

Exemplum habemus in Dauide. Hic obiurgatus à Nathan, cernit suum peccatum, non confidens se iustitia sua esse placaturũ iram Dei. Cùm videret se è regno eijci, agnoscebat id fieri consilio diuino, ideo non fidebat suis viribus, aut sapientia regnum se retinere posse.

De

De hac humiliatione. Esa. 66. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem? Et Christus: Beati humiles, &c. Proinde humiles exaudiuntur à Deo. Psal. 101. Respexit in orationem humilium, &c. Exaltantur à deo, Lucæ. 1. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Monachorũ humiliatio, quam finxerunt in externo vestitu & ceremonijs, est planè hypocritica, potius dixeris superbiam.

DE ORATIONE.

Quid est oratio?

EST alicuius rei à Deo ex adfectu cordis cum fide petitio, & gratiarum actio pro rebus à deo acceptis. Hinc, orare, est cum deo loqui & aliquid ab eo postulare.

Quot sunt species orationis?

Duæ. Inuocatio siue precatio, et gratiarum actio.

Quid est inuocatio?

Est qua inuocatur in aliqua re Deus, aut qua à Deo aliquid petitur. Huc pertinent Psalmi precatorij.

Quot requiruntur ad inuocationem seu precationem?

Quatuor, Præceptum Dei, Promissio, Fides, et res petenda.

Quod est primum?

Auto-

Autoritas diuini mandati, qua iubet precari et inuocare Deum. Discamus non tantùm esse peccata, iurare per nomen dei, furari, mœchari, &c. sed etiam peccatum eße, non orare, non petere aliquid à Deo, non expectare auxilium in periculis, non agere gratias pro beneficijs. Item, non eße nobis liberum precari, aut non precari, sed necessarium opus à Deo nobis praeceptum.

Sed inquis, deterrent me incredulitas & indignitas.

Cùm obstrepit incredulitas, opponas verbum Christi. Math. 7. Petite, et dabitur vobis: omnis enim qui petit, accipit. Et Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, et ego exaudiam te, &c. Cum verò obstrepit indignitas, cogites autoritatem diuini mandati non esse detrectandam propter nostrã dignitatem. Magna certè amentia esset in cateris praceptis disputare, nos ideò nolle abstinere à furtis, à cede, ab adulterio, &c. quia non sumus digni, qui Deo obtemperemus. Quis paterfamilias imperans seruo legitimum opus, recipiet serui excusationem, si dicat se non esse dignum, qui obtemperet?

Quod est secundum?

Promissio Dei, qua testatur exaudiri preces, Joan. 16. Amẽ dico vobis, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Et Luca. 11. Quantò magis pater vester qui est in cœlis, dabit

spiritum sanctum petentibus se.

Taulerus dicit, animum hominis nunquam tam auidum esse posse ad accipiendum, quin deus multò auidior sit ad dandum. Est enim verax, et seruans promissionum suarum.

Quod est tertium?

Fides, vt scilicet credamus nobis remitti peccata, et nostras preces placere Deo, et exaudiri propter Christum: nec esse irritas, sed impetrare vel liberationem ex præsenti periculo, vel mitigationem, vel alia quædam bona. In præsentibus periculis addimus conditionem, si Deo non displicuerit, si iudicauerit nobis conducere, quemadmodum Dauid fecit, 2. Reg. 15. Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, Sin autem dixerit mihi, non places, præstò sum, faciat quòd bonũ videtur ipsi. Sic leprosus, Matth. 8. Domine, si vis, potes me mundare. Et Christus inquit: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, &c. Neque tamen modum liberationis, neque tempus Deo præscribere debemus, sed quemadmodum Paulus ait: Deum facere suprà quàm petere aut intelligere possumus. Porrò cùm differuntur ea quæ petimus, non languescat fides, quasi deus nolit audire preces nostras, sed sciamus hac mora exerceri fidem. Sicut Abrahæ promissa soboles, primùm data est in extrema senecta.

Quod

Quod est quartum?

Res petenda. Nam oratio non debet esse inanis Battologia. *Oportet aliquid peti à deo, aut pro munere aliquo gratias agere.*

Quid ergo petendum est?

Scriptura iubet petere spiritualia & corporalia beneficia, res priuatas et publicas, præsentes et futuras. Item iubemur orare pro Ecclesia, vt liberemur ab impietate, à scandalis, vt plures obediant Euangelio et saluentur. Paulus iubet orare pro Regibus et Magistratibus, vt deus concedat pacem. Item, iubemur petere victum, & alia bona corporis. Quemadmodum hæc omnia Oratio dominica complectitur.

DE ORATIONE DOMINICA.

Quid est oratio Dominica?

EST breuis orandi formula, discipulis & cunctis fidelibus à Christo tradita. Matt. 6. Cùm oratis, dicite: Pater noster qui es in cœlis.

Dic Orationem Dominicam.

Pater noster qui es in cœlis.
Sanctificetur nomen tuum.
Adueniat regnum tuum.
Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo. Amen.

Præfatio titulus est. Vocamus enim Deum Patrem nostrum, in cœlis habitantem, vbi non terrenam hæreditatem, sed cœlestia gaudia et vitam æternam expectamus.

Prima petitio orat de gloria Dei, de doctrina et profectu euangelij, scilicet, vt nomen Dei apud omnes homines illustretur. Magna enim impietas est, præferri Dei gloriæ nomen et honorem operum et creaturarum.

Secunda petitio, orat de effectu euangelij et gubernatione nostri, scilicet, vt deus inchoet in nobis regnum suum, per spiritum sanctum, & Satanæ regnum excindatur.

Tertia orat, vt hîc in terris omnes pastores, magistratus, subditi, faciant hoc quòd Deo placet. Sicut angeli in cœlo, nihil repugnãt eius voluntati.

Hæ tres petitiones ad Dei gloriam pertinent, sequentes nostras calamitates indicant.

Quarta petitio orat victum, pacem, defensionẽ, succensum in rebus gerendis, liberorum educationem, deniq; omnia vitæ commoda, & animæ & corporis necessaria.

successum

Quinta orat condonari nobis peccata: idq; certò fieri, si nos alijs condonauerimus. Idq; vt sciamus certò futurum, proponit nobis hoc opus, videlicet

licet, vt aliys nos remittamus. Quare hæc petitio docet in omni precatione adhibendam esse fidem remissionis peccatorum, & apprehendēdum Christum mediatorem.

Sexta, orat ne insidiys diaboli pertrahamur ad impietatem, & ad alia scelera, ne tandem his irretiti & illaqueati, desperemus.

Septima, orat liberationem ex omnibus peccatis & calamitatibus, ex miseriys & ærumnis præsentis vitæ, & vt donetur nobis vita & iustitia æterna.

Conclusio, Amen, certificatio cordis est & conscientiæ, vt credamus nos à patre exauditos.

DE MAGISTRATV.

Quid est Magistratus?

EST ordinatio diuina, à Deo ordinata, vt conseruet disciplinam et pacem, puniat sontes ac seruet insontes, cui obediendum est, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Vel sic breuius: Est quæuis legitima potestas, inter homines ordinata à DEO, ad defensionem boni, & prohibitionem mali, secundum ius & æquum. Rom. 13.

Quid est Tyrannus?

Est iniquus magistratus, qui non gubernat secundum Leges, sed pro suo fertur animo & æstu.

Fundanturne Magistratus in scripturis sanctis?

Maximè. Tam in veteri quàm in nouo Testa-

mento, Genesis. 8. Quicunque effuderit sanguinem humanum fundetur sanguis eius. Et Exod. 21. Si quis per industriam occiderit proximum suum, ab Altari meo euelles eum, vt moriatur.

Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subditus sit. Non enim est potestas nisi à Deo. &c.

1. Pet. 2. Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum, siue Regi, tanquam praecellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis.

Matth. 26. dixit Christus Petro: Qui gladio pugnat, gladio peribit. Et Luc. 3. ait Ioannes Baptista militibus: Nulli violentiam faciatis, & estote contenti stipendiys vestris.

Est ergo Magistratus ordinatio Dei?

Imò bona creatura dei, & res non solùm à Deo permissa, sicut permitti dicuntur mala, vt bella, pestilentiae, &c. sed res approbata à verbo Dei, instituta & ordinata à Deo, sicut motus coelestes à Deo ordinati sunt, & aliae creaturae.

Cur ergo tot improbi & mali rapiunt & tenent Magistratum & Imperia?

Discerni debent personae ab officio. Officium opus Dei est, & manet, etiamsi personae abutuntur ordinatione dei. Quemadmodum Nero, Iulianus, & similes.

In quas res debet respicere Magistratus?

In Deum, in seipsum, & in subditos.

Cur

Cur in Deum?

Vt sciant, quòd sit eorum officium, & quid deus ab his requirat. Requirit autem ab eis quatuor.

Primò, agnitionem dei, vt scilicet, agnoscant Deum: illum esse, in cuius manu sunt omnes potestates, qui transfert Regna, et constituit Imperia. Quemadmodum Moses ait Deuteronomio. 10. Dauid primo Chronicorũ 30. Daniel. 4. Rex Babylonis non agnouit Dominum Deum, ideò è regno eiectus est.

Secundo, timorem Dei, vt timeant Deum in omnibus, & in lege eius ambulent sedulò. Sic Moses hortatur Deu. 17. Et Psal. 2. Et Psal. 82 Pharao Rex Ægypti, eò quòd non timuerit dominum, correptus est decem plagis, et tandem submersus in mari rubro. Saul contemnens dei mandatum, à regno deiectus est.

Tertiò, Sapientiam, quam impetrent à Deo, quemadmodum Salomon. 3. Reg. 3.

Quartò, Judicium et iustitiam, vt iustitiam iudicent in terra. Sic Moses Exodi. 23. Hier. 22. Deut. 16. Esaia. 10. Sapient. 6. Achab Rex Israël, quia iniustitiam exercuit in Naboth, correptus est à domino. 3. Reg. vltimo. Cambyses Rex Persarum, Sysamnem iniquum iudicem excoriari fecit, in terrorem aliorum iudicum, &c.

Cur in seipsum?

Vt sciant, vbi in angustijs quærant consolatio-

nem, et ſeſe multò imbecilliores eſſe, quàm vt poſſint conſeruare res politicas, contra tantam potentiam Satanæ, qui imperia diſſipare conatur.

Hæc autem conſolatio conſiſtit in quatuor.

Primò, *in vocatione, vt ſciant ſe legitimè vocatos ad officium magiſtratus. Nam hoc maximè ſolatur conſcientiam in anguſtijs. Abſolon, quia inuaſit regnum patris, malè perijt, Rex Monaſterienſis itidem.*

Secundo, *vt ſciant Deum in hoc negotio eſſe autorem et aurigam, et Magiſtratibus vti tanquam inſtrumentis, ipſisq; præficere angelos in cuſtodiam et tutelam. Daniel. 12. Ioſue. 5. Iudi. 2.*

Tertiò, *vt ſciant Deum ciuilem iuſtitiã habiturum, velut precioſiſſimum theſaurum in terra, adeò vt & Magiſtratum dignetur vocabulo Elohym. Pſal. 92. Ego dixi dij eſtis, & iubeat orate pro Regibus & Magiſtratib. 1. Timoth. 2.*

Quarto, *vt ſemper ob oculos habeant exempla & hiſtorias Veteris teſtamenti, quomodo Deus mirabiliter eripuerit Magiſtratum à præſentibus malis. Exemplo ſunt Abraham, Ioſeph, Gedeon, Dauid, Ezechias &c. Contrà, quomodo inſurgentes in Magiſtratũ perdiderit, exemplo ſunt Chore, Dathan, Abſolon, Iudas Galilæus, Theudas, & tumultus ruſticorum.*

Cur debent reſpicere in ſubditos?

Vt ſciant quo pacto debeat ſubditos in pace & tran-

tranquillitate regere & conseruare, Vno enim oculo debent respicere ad Deum, altero ad subditos.

Deinde, ne subditos habeant veluti pecora, sed vt consortes & cohæredes vitæ æternæ. Deinde vt tueantur inopes, viduas, pupillos, egenos, Quorum patrem & iudicem sese Deus fatetur. Et vt sciant se quoque habere dominum in cœlis. Col. 5.

Tertiò, vt promoueant ac defendant bonos, & corripiant malos, vt sit pax bonis, deinde bona educatio & disciplina, postremò pietas. Corrigere autem debent cum ratione, ne, vt dicitur, seruato coclеario peluim conculcent, ne scilicet propter vnius hominis causam faciant iacturam totius vrbis aut prouinciæ. Prouerbium est: Nescit regnare, qui nequit dissimulare. Exemplo est Dauid, qui nolebat occidere Ioab homicidam, se viuente. Et Augustus solitus est dicere: Bellare est aureo hamo pisces comprchendere.

Tria debet Magistratus subditis?

I. Vt æquo animo audiant viduas pupillos, egenos, & causam eorum iudicent ac promoueant.

II. Vt subditos defendant, & in pace conseruent, vt bonos promoueant, & malos corripiant, & disciplina atque bonis legibus politiam exornent.

III. Vt homines ad pietatem & agnitionem dei instituant & inuitent. Hæc opera valde ornant Magistratum, & placent Deo.

Quid dabent subditi Magistratibus.

Tria. Tributum, timorem, honorem & dilectionem,

nem. Roma. 13. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui timorem, timorem. cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.

De tributo ait Christus Math. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.

De timore, Prouer. 24. Fili mi, time dominum & Regem, & cum seditiosis non misce aris.

De honore. 1. Petr. 2. Deum timete, Regem honorificate.

Est ne potestas Magistratuum infinita?

Minimè. Nihil enim debent contra ius diuinum & ius naturæ mandare et agere. Deinde peccant etiam, quando aliquid imperant contra Leges sui regni, seu contra formam sui imperij, vt, Non licuit Achab eripere vineam ciui Naboth, contra ipsius voluntatem. Sic non licet Principibus ex fortunis ciuium suorum rapere pro libidine quantum volunt. Nam ciues sunt domini rerum suarum. Et Ioannes Baptista ait: Contenti estote stipendijs vestris. &c. Quare locus de iure regni in Samuele, non concedit infinitam licentiam Principibus, sed loquitur de stipendijs, hoc est, concedit sumi ad vsus publicos stipendia ex priuatorum rebus atque fortunis.

Quid verò, si præcipiant aliquid contra ius diuinum?

Tum respondendum est cum Apostolis: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Exemplo

plo sunt Daniel, tres pueri. Item Machabai, Item Apostoli Act. 4. Magis monendi sunt, se esse custodes non tantùm secunda tabula, sed etiam prima, hoc est, non tantùm pertinere ad Magistratũ curam tuenda tranquillitatis ciuium, sed depellendi iniurias rerum & corporum, seu etiam disciplina in religione retinẽda. Quare debet Magistratus prohibere impios cultus, impia dogmata, hareticos, periuria, & religionis contumelias, quemadmodum fecerunt non solùm Reges Israël, sed etiam gentium, Nabuchodonosór, & Darius, qui proposuerunt edicta, in quibus vetabant dici blasphemiam contra Deum Israel. Ita verè erunt beata Respublica. Deus enim vicissim defendet eas, & omnibus bonis cumulabit, sicut dixit: Glorificantes me, glorificabo.

Placéntne deo opera ista politica?

Imò. Opera vita œconomica & politica, qua quisq; quo sua vocatione facit, sunt bona opera, & in pijs sunt veri cultis Dei: sunt enim opera à Deo præcepta, ideò & Propheta sæpius præferunt hæc opera politica sacrificijs. Esaias. 1. ait de Sacrificijs: Quis requirit hæc de manibus vestris? &c. Sed de politicis operibus ait: Quærite iudicium, subuenire oppresso, defendite viduam. &c. Et addit præmia: Si peccata vestra fuerint quasi coccinum, sicut nix dealbabuntur. Ose. 6. Misericordiam volo, & non sacrificium. &c. Et de œconomicis officijs ait Paulus. 1. Timot. 2. Saluabitur mulier

mulier per filiorum generationem.&c. Hic coniungit fidem & opera vocationis.

Cur ergo hypocritæ tantis laudibus euehunt opera monaſtica?

Imprudenter agunt,& multorũ conſcientias perturbant. Officia enim & opera ciuilis vitæ, longè anteferri debent monaſticis operibus, propter tria.

I. *Quia habent mandatum dei & vocationem.*

II. *Sunt officia charitatis, deſtinata ad communem vtilitatem hominum.*

III. *Sunt obnoxia cruci & periculis communibus,ideo habent exercitia fidei.*

Contrà, Monaſtica opera non habent mandatũ Dei,aut vocationem. Quare ſunt inutiles cultus, Math.15. Fruſtra me colunt,docentes mandata & doctrinas hominum. Deinde, qui ea docent, non iuuant alios,ſed fruuntur ſuauiſſimo ocio. Quorũ deus venter eſt. Rom. vltimo. Poſtremò, nullam ſuſtinent partem vel cõmunionem periculorũ.&c. Ideo longè anteferenda eſt ciuilis vita monaſticis ceremonijs & operibus.

DE POLITIA Eccleſiaſtica.

Quid verò de Politia Eccleſiaſtica ſentiendum?

SIcuti de politia mundana reuerenter ſentire, eamque ornare, amare, atque conſeruare omni officij

officij genere debemus: Ita & politiam Ecclesiasticam ex animo & summa pietate amare ac venerari debemus.

Quot sunt partes politiæ Ecclesiasticæ?

Duæ. *Altera est ministerium diuinitus ordinatum. Ad id pertinet, quòd Ecclesia habet mandatum vocandi seu ordinandi ministros, qui publicè doceant Euangelium, & administrent sacramenta, & annuncient remissionem peccatorum singulis vel multis. Item, quòd Ecclesia habet iurisdictionem, vt à communione arceat eos, qui in manifestis flagitijs versantur. Hoc ministerium summa pietate debent venerari omnes homines, vt conseruetur. Quare Psalmus ait: Aperite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ. Hoc est Margaritũ, quod venditis omnibus rebus cõparare nobis debemus.*

Altera est Eutaxia, *bona disciplina humanis ordinationibus ornata, quæ prosunt ad disciplinam & tranquillitatem. Et hanc quoque debemus reuerenter amare & conseruare. Ordinationes enim humanæ, dierum, locorum, & similes, etsi non sunt pietas, tamen sunt vincula, quæ adiungunt nos Euangelio, per quod inserimur Ecclesiæ, & dissipatis istis ordinationibus, periclitatur quoque Ecclesia. Ideo cauere debebant Pontifices, ne iniustæ Leges aut impij cultus adderentur veteribus et bonis ritibus. Nam iniustæ Leges*

non sunt durabiles, & mota labefactant reliquam politiam. Emendatis igitur vitijs, ememus & conseruemus ritus vtiles, praesertim cùm Paulus praeceperit, vt in Ecclesia omnia fiant ordine & decenter.

DE MATRIMONIO.

Quid est Matrimonium?

EST coniunctio viri ac mulieris legitima, ad procreandum sobolem, & vitandam scortationem indissolubiliter instituta.

Quale opus?

Opus dei. Deus enim institutor est matrimonij. Primò, Dei cõsilio creatur homo Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem nostram. Secundo, consilio quoque dei creatur mulier. Ibidem, Non est bonum homini esse solum, faciamus ei adiutoriũ. &c. Et misso sopore in Adam, accepit costam. &c. Et aedificauit ex ea mulierem. Tertiò, Adduxit eam ad Adam, & benedixit eis: Crescite & multiplicamini, & replete terram.

Quantum se extendit?

Matrimonium est viri & mulieris legitima copulatio. Et quanquam exempla veteris testamenti testantur polygamiam in vsu fuisse, fortassis augendae sobolis gratia, vel propter alias causas permissa. Nouum tamen testamentum in vniuersum prohibet, autore Christo, qui reuocat Matrimoniũ

ad

ad primam institutionem, Math. 19. Qui fecit hominem, masculum & fœminã fecit eos. Et Gen. 2. Erunt duo in carne vna.

Vbi est institutum?

In Paradiso, amœnissimo loco.

Quando est institutum?

Statim in ipso mundi exordio, tempore innocentiæ, cùm adhuc non erat peccatum.

Quare est institutum?

Primò, propter procreationem sobolis, vt genus humanum conseruetur. Gen. 1. Crescite & multiplicamini. &c.

Secundò, propter vitandam fornicationem & stupra. 1. Cor 7. Propter fornicationem vnusquisque habeat vxorem suam, & vnaquæq; virum suum.

Tertiò, propter vitandum ocium, vt scilicet habeant coniuges quod operentur, ne ociosi peccent.

Quid agendum in Matrimonio?

Coniuges apprehendant firmam fiduciã in deum, vtpote coniugij autorem, inter se pacifice & vnanimus viuant, prolem à Deo datam & familiam in timore & dilectione dei educandam curent: bonis denique suis ita vtantur, ne alijs incommodent.

Quid ferendum?

Quæ crux coniugij?

Post præuaricationem dixit deus viro: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. &c. Mulieri dixit: In dolore paries filios tuos &c. Tamen addit consolationem in cruce. Viro ait: Donec reuertaris

uertaris in terram vnde sumptus es. Mulieri ait: Paries quidem, sed in dolore. Et Paulus. 1. Tim. 2. Saluabitur mulier per filiorum generationẽ, si permanserit in fide.

Poteſtne initum matrimonium ſolui?

Minimè. Nã Christus ait. Math. 19. Quod deus coniunxit, homo ne separet. Cæterum vbi adulterium intercedit, ibi solutum est vinculum coniugij, & data fides fracta, quare in tali casu iuxta doctrinam Christi, separare licet.

Quæ ſunt ſeruanda circa matrimonium?

Consensus parentum, aut illorum vicẽ tenentium. Item, consensus personarum contrahentium: Item, Leges naturæ, Cæsarea, municipales, & consuetudines patriæ. Spectat enim matrimoniũ, etiam ad ciuilia et politica. Item, coniugati sciant hoc genus vitæ placere Deo, et ideo promissionibus Dei & verbo ornatum esse. Benedictionibus quoque tã corporalibus quàm spiritualibus. Psal. 128. Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & benè tibi erit: Vxor tua sicut vitis, &c. Item, Matrimonium esse signum spiritualis connubij & societatis, quæ est ecclesiæ cum Christo. Ephes. 5.

Eſt ne coniugium omnibus liberum?

Maximè. Ante Christum damnata erat virginitas, nec admittebatur aliquam manere virginem, propter semen futurum, quòd nesciebatur ex qua fœminæ venturum erat, Eratq; maledictio Legis, non

non ferre semen Israel. Nunc verò liberum est Matrimonium. 1. Corinth. 7. De virginibus præceptum non habeo, &c. At Christus excipit tria genera eunuchorũ, Math. 19. præter hos nemo debet esse extra coniugium.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

Súntne Sancti inuocandi pro mediatoribus.

Minimè. Nam Paulus ait: Unus est mediator dei & hominum, homo Iesus Christus. 1. Timoth. 2. Et Rom. 8. Christus Iesus mortuus est, imò qui resurrexit, qui est ad dextram patris, qui etiam interpellat pro nobis. &c. Et. 1. Ioan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrẽ, Iesum Christum iustum. His sententijs tollitur vanissima illa distinctio, qua Papistæ docent, duplices esse mediatores, scilicet redemptionis, vt Christum, & intercessionis, vt Sanctos.

Súntne Sancti adorandi?

Minimè. Christus enim ait. Matth. 4. dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et August. de vera religione: Honorãdi sunt sancti propter imitationem, non adorandi propter religionẽ. Et angelos honoramus charitate, non seruitute, nec eis templa construimus. Nolunt enim sese sic honorari à nobis, quia nosipsos cùm boni sumus,

templa summi dei esse nouerunt. Rectè itaq; scribitur, hominem ab angelo prohibitum, ne se adoraret, sed dixisse, deum adora. 19. & .22.

Chrysost. 6. Homilia de profectu Euangelij, ait: Non opus est patronis apud deum, neq; multo discursu, vt blandiare alijs, sed licet solus sis, patronoq; careas, & per teipsum deum preceris, omnino tamen voti compos eris. Neq; enim tam facilè deus annuit, cùm alij pro nobis orant, vt cùm ipsimet oramus, etiamsi pluribus malis simus pleni. Exemplo est mulier Chananaea. Mat. 15.

Tamen per Tribunos & Comites itur ad Regem vel principem?

Ambro. Rom. 1. apertè refellit hanc similitudinem, dicens: Sicut iure damnantur læsæ maiestatis, qui honorificentiā Regis deferunt Comiti aut Tribuno, Sic nimirum rei sunt, qui honorem nominis dei deferunt creaturæ, & relicto domino, conseruos adorant. Nunc igitur ad Regem per Tribunos & Comites itur, quia homo vtique est Rex, et nescit quibus debeat Rempublicam credere. Ad deum autem promerendum, quem vtiq; nihil latet, suffragatore non est opus, sed mente deuota.

Quomodo igitur colendi sunt Sancti?

Honorificentissimè de sanctis sentiendum & loquendum est. Quos enim deus ipse honorat, eos proculdubio honorari vult à nobis. Pater pro filijs suis eos agnoscit. Filius eos fratres vocat & cohæredes

hæredes. Spiritus sanctus verò sua templa. Qui igitur eos non honorat, ipsum etiam Christum in eis contemnit, & gratiam dei, per quam tales tantiq; euaserunt, parui pendit. Quid enim sentit de sancta Ecclesia, qui nostra commembra, iam cum Christo in pace constituta, & de æterna salute certificata non honorat? Vetus Ecclesia Sanctorum memorias celebrauit, gratias egit deo pro illorum liberatione, pro gratia illa collata, & pro beatitudine eorum, ac pro eximijs donis, quæ deus per Sanctos in Ecclesiam effudit. Videmus quoq; in Sanctis quid possit gratia Dei. Quando enim audimus eos, qui nobis similes erant, tam potenter potuisse vincere peccatũ, mundum & mortem, mox & nos excitamur ad concipiendam fiduciam tanta misericordia dei in Christo promissæ & exhibitæ. Tum illorum exempla nos inflammant ad imitationem, vt deum pro simili fide oremus, & Sanctorum virtutes iuxta vocationis nostræ rationem imitemur. Sic confirmatur in nobis fides in Christũ, accenditur charitas, roboratur spes æternæ salutis, cogitamus eos non esse amissos, sed præmissos ad vitam futuri seculi. Colimus erga eos cō cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur Sancti homines. At cultu latriæ nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum deum. Ipsi enim Sancti vel homines vel Angeli, exhiberi sibi nolunt, quod vni deo deberi norunt.

DE IMAGINIBVS.

Súntne imagines in Ecclesia tolerandæ?

EXodi. 20. simpliciter prohibitum est, simulachra, aut statuas facere, quæ proponantur ad cultum seu adorationem. Est enim manifesta idololatria, pugnans cum primo præcepto. Semper autem fuit magna imaginum superstitio apud omnes gentes, ideo Iudæis seuerè præceptum est, ne ad cultum vterentur statuis aut imaginibus. In Græca Ecclesia multæ fuerunt rixæ, de tollendis in vniuersum imaginibus. Sed sciendum est vsum imaginum per sese esse liberum, modo caueatur abusus & superstitio, quæ hactenus seruata est in statuis Christi & Sanctorum, quibus vulgus existimauit aliquid numinis adesse, tribuit & peculiares cultus & honores, & exercuit idololatriam in inuocatione sanctorum.

Quid si populus colat & adoret imagines, quid tum faciendum?

Si alicubi esset imago, ad quam rude & superstitiosum vulgus accurreret, & eam veneraretur, & apud eam auxiliũ quæreret, hanc debet magistratus eius loci tollere, ne committatur idolatria, exemplo Ezechiæ Regis, qui æneum serpentem à Mose factum, tandem confregit, propter abusum, quia populus stolidus cœperat ei diuinos honores impendere, & adorare. 4. Reg. 18.

Sunt

Sunt ne imagines honorandæ ?

Clemens ad Iacobum fratrem domini ait : Si verè vultis honorare imaginem Dei , homini qui ad imaginem dei factus est , benefaciatis , honorem & reuerentiam deferatis, esurienti cibum, sitienti potum , nudo indumentum, ægro ministerium, peregrino hospitium,& in carcere posito necessaria ministretis. Et rursus: Quis iste honor dei est, per lapideas & ligneas formas discurrere, & inanes figuras tanquam numina venerari : & hominem, in quo verè imago Dei est, spernere ? Et rursus: Quod magis impium,et ingratum,quàm à Deo beneficium consequi, & reddere lignis ac lapidibus gratiam ? Si nemo venit ad patrem, nisi per Christum, quid auferimus gloriam Deo, tribuentes illam picturis & statuis, ac si possent trahere in contemplationem dei ?

Atqui Gregorius vocat imagines Laicorum libros.

Christiani imaginem Christi, Beatæ Virginis, Patriarcharum, Apostolorũ,&c. habere possunt tanquam memoriale. Ad hoc enim prosunt, vt nos admoneant. Dum enim intuemur imaginem crucifixi, aut Christi resurgentis, statim reuocãtur nobis in memoriam salutifica mors Christi , & gloriosa eius resurrectio, quarum rerum memoria vtilis est et necessaria. Hinc Gregorius ait: Quod legẽtibus est scriptura, hoc idiotis est pictura Debent tamẽ

Christiani non tantùm ex imaginum libris, sed ex libro dei, qui est scripturarum, discere Et qui nosse cupit deum, non requirat tantùm ab imaginibus pictorum, sed scrutetur, iuxta Christi mandatum, scripturas. Qui autem nesciunt legere, audiat verbum: fides enim ex auditu. Rom. 10.

Quid verò de reliquijs Sanctorum ?

Sanctorum corpora sunt domicilia dei, & habitacula spiritus sancti, ideoq; primum à pijs eorum ossa collecta & asservata sunt, propter memoriam. postea accessit superstitio quæ causa fuit impudentes & scelerata impostura, comparata ad quæstum, ut quævis ossa pro sanctorum reliquijs adoranda proponerent. Nam avaritia Sacerdotum non modo ex lignis & lapidibus, sed etiam ex mortuorũ ossibus materiam avaritiæ suæ captans, suæ rapinæ instrumenta fecit. Quare & canonizationes quoq;, ut vocant, Sanctorum, sunt meræ impostura Romanorum Pontificum. Multorum enim corpora (ut ille ait) venerantur hic in terris, quorum animæ sepultæ sunt in inferno. Exemplo est latro ille, qui sub nomine martyris colebatur, cuius altare divus Martinus destruxit, ut legitur in eius historia.

Quæ sunt veræ reliquiæ Sanctorum?

Ut imitemur eorum fidem, charitatem, constantiam & patientiam, eosq; nobis tanquam exempla proponamus, ut quemadmodum illi per gratiam

tiam dei, sinceriter in Christum credebant, ardenter proximum amabant, constanter in confessione fidei perdurabant, & patienter mortem pro Christo passi sunt, & in regnum dei recepti: Ita & nos his exemplis prouocati, Deum supplices oremus vt & nobis, qui adhuc in carne militamus, similem fidem, charitatem, constantiam, & patientiam impertiat, nos sua gratia seruet, vt sicut illi in tuto sunt collocati, nos quoq; tandem vbi moriendum est, fratres nostros certò consequamur.

DE SEPVLTVRA.

Vnde orta est sepultura mortuorum?

EX verbo Dei, Genesis tertio: Cinis es, & in cinerem reuerteris. Quod vocabulum Aphar, in Hebræo significat effossam terram, seu humum, quemadmodum in sepulchris videtur. Hinc ceremonia honesta sepulturæ semper fuit in Synagoga & in Ecclesia, & est testimonium nostræ fidei, quòd credimus resurrectionem carnis, & nostræ charitatis erga proximos defunctos, quos credimus non esse amissos, sed tantùm præmissos, non dubitantes eos in die Domini, omnes amicos nostros rursum visuros, mansuros simul cum Christo in æternum. Gentes præsertim Romani, mortuos suos comburebant.

Vbi habenda est sepultura?

Apud Veteres tam Iudæos quàm gentes, extra

vrbes sepultura fuit. Sic Abraham emit agrum ab Ephron in sepulturam vxoris Saræ. Gene. 23. Vbi & postea sepulti sunt Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph. Sic efferebatur Adolescens defunctus, quem resuscitauit Christus in porta Naim. Luc 7. Sic Lazarus sepultus erat extra Bethaniam. Sic Christi quoq; sepulchrum erat extra Hierusalem. Hinc vocabulum efferri, latinis in vsu permansit.

Quomodo celebranda est sepultura?

Sepultura à Christianis religiosè est tractanda, propter ineffabilem spem nostræ resurrectionis. Et funera sunt à pijs deducenda vsq; ad sepulchrum. Et cùm corpus sepelitur, recordemur nos omnes in Adam esse mortuos, & damnabiles. Deinde rursus nos omnes in Christo viuificari, qui omnia restituit, quæ prius Adam corrupit & perdidit. Ipse enim mortuus est propter peccata nostra, quæ omnia ipse sua morte expiauit, & nostram mortem aboleuit, & factus est omnibus fidelibus resurrectio & vita. Qui credit in eum, etiam si mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in eum, nõ morietur in æternum. Ioannes.11. Corpora nostra membra sunt Christi. Sicut igitur Deus suscitauit Christum dominum & caput nostrum, ita & nos suscitabit per potentiam suam. 1. Corinth. 6.

Quomodo habendus est locus sepulturæ?

Loca vbi fidelium corpora seruantur, dignè à nobis

nobis haberi debent: poterunt quoque picturis sacrarum historiarum exornari, quæ nos admoneant fidei, & pietatis, resurrectionis & iudicij. Sic scribit Vlpianus: Religionis interest, monumenta extrui & ornari. Contrà qui busta & polyandria violant, lege Solonis infames sunt. Porro spiritum Sadducæorum & Epicureorum habent, quos nulla omnino resurrectionis & futuræ vitæ cura sollicitat, qui corpora mortuorum tanquam asinorum cadauera abijciunt, & ossa defunctorum pedibus conculcant, & cœmeteria contemnunt, nullam prorsus sepulturæ rationem habentes. Nam & Eusebius & Athanasius, Christianorum cœmeteria memorant, in quæ orandi gratia conuenire solebant, quæ loca Christianis sacra erant, propter quiescentium ibi Sanctorum corpora. Hinc coimitérion *vocabant, hoc est, dormitorium: & Iudæi doctiores, Bethaym, hoc est, domum viuentium. Credunt enim Abraham, Isaac, Iacob, & pios omnes viuere, & hæc corpora reuictura, et animabus reddenda.*

DE RESVRRECTIONE mortuorum.

Quid est resurrectio mortuorum?

EST quâ in nouissimo die resurgent omnes homines à mortuis, pij ad vitam æternam, impij ad supplitia æterna.

Vnde

Vnde probas resurrectionem mortuorum?

Hic articulus fidei est inter præcipuos, propter quos reliquos omnes profitemur. Ideo scriptura, præsertim Noui testamenti, plena est testimonijs. Ac ad confirmandos animos aduersus Epicureas opiniones, & alendum timorem ac fidem, prodest in conspectu habere multa testimonia, quæ testantur, quòd simus resurrecturi cum his corporibus.

Math.23. probat Christus resurrectionem mortuorum, ex eo, quod Dictum est à Deo: Ego sum deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob. &c. Deus, inquit, non est Deus mortuorum, sed viuentium. Ergo necesse est, Sanctos qui mortui sunt cum corporibus resuscitari.

Item cap.19. resurrectionem vocat regenerationem, cùm hæc corpora ex sepulchris resuscitata renouabuntur. Lucæ.14. Retribuetur tibi in resurrectionem iustorum. Ioan.6. Hec est voluntas patris mei, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Rom.8. Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Ibidem: Sed & nos primitias spiritus habentes intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectans, redemptionem corporis nostri. 1. Corinth. 15. instituto propugnat

pugnat hunc articulum toto capite. Probat autem ex resurrectione Christi, necesse esse vt & nos resurgamus Ideò enim resurrexit Christus, vt vinceret & aboleret mortem, & redderet nouam & æternam vitam credentibus. Sicut per hominem mors (inquit) ita per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.

2.Corinth.4. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Si vitam Christi manifestari oportet in corporib. nostris, necesse est corpora nostra liberata à morte & resuscitata, viuere æterna vita. 1.Thess.4. Si credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt adducet cum eo.

Dic aliqua testimonia Veteris testamenti.

Esaiæ.25. Deuorabitur in monte isto facies inuolutorum, quæ omnes populi inuoluti sunt, & operimentum, quo omnes gentes coopertæ sunt, & mors deuorabitur in sempiternum. &c.

Esaiæ,26. Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini & lætamini qui habitatis in puluere. &c. Vade populus meus intra cubicula tua & claude ostia tua. &c

Ezech.37. Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educã vos de sepulchris vestris, populus meus. &c.

Iob,19. Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo

uissimo die de terra resurrecturus sum, et rursus circundabor pelle mea, & in carne meo videbo eum.

Postremò hic articulus passim in promissionibus et exemplis patrũ innolutus est. Quia enim sanctis promittitur liberatio, glorificatio, et illi tamẽ in hac vita affligantur et subijciũtur morti: igitur necesse est restare aliam vitam, in qua viuant glorificati.

Sic Epostola ad Hebraeos docet, patres tenuisse fidem resurrectionis. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus. &c.

Ideò Iacob filijs suis mandat, vt adiungatur sepulchro patrum suorum. Et Joseph iubet ossa sua asportari ex Ægipto.

Resurgent ne omnes homines pariter boni ac mali?

Una & cõmunis erit omnium mortuorum resurrectio, tam piorum quàm impiorum, sed conditione inaequali. Pij enim resurgent ad vitam aeternam, impij ad iuditium & pœnas eternas.

Proba quòd etiam impij cum corporibus sunt resurrecturi ad supplicium.

Ioan. 5. ait Christus: Venit hora, in qua omnes qui sunt in monumẽtis, audient vocem filij hominis, & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionẽ vitae, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

Daniel. 12. Multi de his qui dormiunt in puluere terre, euigilabunt. Alij in vitam aeternam, alij in opprobrium, vt videant semper.

2.Corin.5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum.

Math.10. Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

Esaiæ 66. Egredientur & videbunt cadauera (id est corpora) virorum, qui præuaricati sunt in me. Vermis eorũ non morietur, et ignis eorũ non extinguetur, & erunt ad satietatem visionis omni carni.

Quomodo fiet resurrectio?

Paulus. 1.Corinth.15. In ictu oculi, in nouissima tuba. Canit enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.

Quomodo fiet hæc immutatio?

Oportet (inquit) hoc corruptibile induere incorruptibilitatem, & hoc mortale induere immortalitatem. Cùm autem hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria.

Qualiter resurgent?

Gloriosè, absque omni defectu spirituali & corporali. Paulus. 1.Corinth.15. quatuor dotes corporis glorificati enumerat, incorruptibilitatem, claritatem, potentiam vel agilitatem, & subtilitatem. Seminatur (inquit) corpus, hoc est, in terram sepelitur, in corruptione, ignominia, infirmitate, animale corpus: Resurget in incorruptibilitate, gloria, potentia, corpus spirituale.

Da typum nostræ resurrectionis in creaturis.

Respice granum tritici, quod aridum in terram proijcitur, et non viuificatur vt germinet, nisi mortuum fuerit, aut computruerit. Ioan. 12. ait Christus: Nisi granum frumenti. &c. Pusillum, vile, ac siccum granum infoditur humo, quod in limo putrefactum, velut reuiuiscens, prorumpit in teneram herbulam, mox culmi, deinde arista. Sic idem illud corpus tuum, quod sepelitur, tamen resurget, sed ineffabili pulchritudine. Iusti enim in regno Dei fulgebunt vt Sol.

Quid verò illi, quos vltimus dies reperiet in carne viuos?

Non incidunt illi in manus pollinctorum aut funeratorum. Nam Paulus ait. 1. Thes. 4. Nos qui reliqui erimus, simul rapiemur cum his, qui antea mortui sunt, in nubibus, in occursum Domini in aera, & sic semper cum Domino erimus.

DE CONSVMMATIONE SECVLI, DE IVDICIO EXtremo, siue die Domini.

Quid est consummatio seculi?

EST cùm status huius mundi & vicissitudo temporum præteribit, cùm cessabit æstas & hyems, nox & dies. Gen. 10.

Quid

Quid est iudicium extremum siue dies Domini?

Est quando dominus Iesus Christus in aduentu suo, cum virtute magna & maiestate, extremam omnibus hominib. iuxta sua facta sententiam feret aquam & irrefragabilem, tum pijs, tum impijs, aut ad vitam æternã, aut ad suppliciun æternum.

Quotuplex ergo est aduentus Christi?

Scriptura duos aduentus Christi docet. Prior erat humilis, quando incarnatus venit in forma serui, vt peccata nostra portaret. Alter erit gloriosus & terribilis, quando veniet vt supremus Iudex maiestate inenarrabili, in fine seculi, iudicaturus viuos & mortuos. Augustinus: Venit Christus occultè iudicandus, veniet & manifestè iudicaturus. Actor. 10. Christus constitutus est à Deo, Iudex viuorum & morthorum.

Et Actor. 17. Statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate.

Quomodo veniet iudicaturus?

Visibiliter in nube, quemadmodum ascendit, Actor. 1. Et in maiestate & gloria. 1. Thes. 4. in voce Archangeli, & tuba Dei.

Cur iudicaturus?

Vt pijs in corpore et anima reddat gaudium et vitam æternam, impijs afflictionẽ et ignem æternum.

Quis

Quis erit ordo extremi iudicij?

Quædam signa præcedent diem iudicij, quædam ipso die illucescente fient, quædam sequentur.

Quæ præcedent?

Romanum Imperium desolabitur, reuelabitur homo peccati, 2. Thess. 2. surgent pseudochristi & pseudoprophetæ. Ecclesia Christi grauissimas persecutiones patietur. Matth. 24. Erunt signa in Sole & Luna, &c. Luc. 21. Euangelium prædicabitur in vniuerso orbe.

Quæ fient ipso die?

Aduentus Christi erit subitus, sicut exitus fulguris ab Oriente in Occidentem. Ignis ante faciem eius præcedet. Psal. 96. Signum filij hominis apparebit in cœlo. Resurgent mortui omnes, tam pij, quàm impij. Christus segregabit malos à bonis & proferet sententiam vltimam. Matth. 25.

Quæ sequentur?

Renouatio mundi visibilis, supplicium impiorum æternum, vita piorum æterna.

Potest ne sciri hora & dies iudicij?

De die illo & hora, inquit Christus, Mat. 24 nemo scit, ne angeli quidem, nisi pater meus solus. Et. 1. Thess. 5. Dies domini sicut fur in nocte, ita venturus est: cùm dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.

DE

DE VITA AETERNA.

Quid est vita æterna?

EST gustus & sensus perpetuus gratiæ & misericordiæ dei, et pax seu gaudium perpetuum conscientiæ, in cordibus fidelium. Vel, est certa dei & domini nostri Iesu Christi notitia, quæ hîc in fide sub spe certa et spiritu incipit, & manifestabitur post hanc vitam ad perpetua gaudia, et immortalem hæreditatem. Breuius sic: Vita æterna est cognoscere deum verum, et quem misit Iesum Christum. Ioan. 12.

Quæ est mors æterna?

Est perpetuus horror conscientiæ ab ira dei.

Quis promisit vitam æternam?

Christus dominus noster.

Quibus?

Credentibus. Sic enim ait Ioan. 3. Qui credit in filium dei, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira dei manet super illum. Et Ioan. 5. Amen, amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in iudicium non veniet, sed transeat à morte in vitam.

Qui sunt effectus vitæ æternæ?

Non sentire amplius peccatum, mortem, sed habere perpetua gaudia & lætitiam. Esaiæ. 25. Et mors deuorabitur omnino, & absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, Apoc 21. Esaiæ. 65. Ecce ego creo cælos nouos, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis in sempiternum, in ijs quæ ego creo. Quia ecce creo Hierusalem exultationem, & populum eius gaudium, & exultabit in Hierusalem, et gaudebo in populo meo, et non audietur in eo vltrà vox fletus, et vox clamoris. &c. Item cap. 51. Qui redempti sunt à domino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum. Gaudium & lætitium tenebunt, fugiet dolor & gemitus. Psalm. 21. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt dominum, qui requirunt eum, viuent corda eorum in seculum seculi.

Psalm. 4. Illi abundabunt frumento & vino, Ego autem dormiam & requiescam, quia tu domine facis vt secure habitem.

Esaiæ. 64. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te.

Hæc testimonia ostendunt vitam æternam futuram esse talem statum, in quo liberati à peccato, morte,

morte, et omnibus calamitatibus, viuamus in perpetua luce, vera notitia Dei, & fruamur æternis gaudijs, & perpetua lætitia. Quam nobis donet deus propter filiũ suũ IESVM CHRISTVM, *qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat super omnia benedictus.*

Amen.

FINIS.



INDEX LOCORUM & quæstionum

huius libelli.

PASTOR ECCLESIAE.

Quid officium pastoris. fol.4.a
Quid requiratur vt sit idoneus. ibidem
Vocatio legitima. ibid
Vocationis modus duplex. ibid
An licitum, & quid sit petere ministerium 5 a
Propositum suscepturi ministerium 5 b
Sũma doctrinæ christianæ tradenda in eccl. 6 a
Partitio summaria totius scripturæ ibid

De Lege.

Quid & quotuplex sit Lex. 6 a
Quid lex Diuina, Humana, Naturæ ibid
Leges Mosaicæ quotuplices 6 b
Lex Moralis, quid & vbi tradatur ibid
Quid inter legem Naturæ, & Moralem, seu Decalogum, intersit 7 a
Decalogi partitio & breuis expositio 7 b
Leges Mosaicæ, iudiciales, siue forenses 8 b
Leges ceremoniales ibid
Legis diuinæ effectus & officia ibid
An posit homo suis virib. legẽ dei prestare. 9 a
An posit iustificari per legem ibid
Cur traditæ leges Mosaicæ, si nõ iustificant ibid

De

De Euangelio.

Discrimen Legis & Euangelij 10 a

De promissionibus.

Promissiones scripturæ sanctæ,& euãgelij. 10 a
Opus euangelij. Summa euangelij 11 a

De peccato.

Quid peccatum, & quæ causa peccati 11 b
An concedenda sit contingentia ibid
Contingentia, Necessitas, Fatum, Quotuplex peccatum ibid
Quid peccatum originis 12 a
Quæ causæ peccati originis ibid
Quod materiale,quod formale peccati orig 12 b
Quid concupiscentia. ibid
Qui effectus peccati ibid
An maneat peccatũ originis in sanctis, et quomodo remittatur peccatũ originis in bapt. 13 a
Quare maneant pœnæ, scilicet, mors corporalis & cęteræ calamitates cum peccatum remittatur ibid
Quid peccatum actuale 13 b
Quid reddat personã vitiosã vel acceptã deo ib.
Quotuplices sint affectus in natura hom. 14 a
Quomodo agnoscantur peccata ibid
Discrimen peccati mortalis & venialis ibid
Quæ dicantur peccata mortalia 14 b

Quid ſentiendum, de patrum diuiſione, peccatorum actualium, interna & externa 15 a
De peccatis omiſsionis, & ignorãtiæ affect. ibid
Quid requiratur in conuerſis ibid

De gratia.

Quid ſignificet, quid ſit gratia 15 b
Quomodo intelligendum ſit, cum dicitur Gratia ſumus iuſti 16 a
Quæ cauſæ gratiæ 16 b
Quomodo contingat nobis gratia ibid
An ſit aliquod meritũ noſtrũ in recõcilia. 17 a
Qui effectus gratiæ 17 b
Quomodo gratia liberet a peccato & morte, tamen maneat adhuc peccatum hærens in carne, & mors corporalis ibid
Quare Paulus diſcernat gratiam & donum. 18 a
Spiritus gratiæ & precum apud Zachariã. 18 b

De iuſtificatione.

Quid ſignificent, iuſtificari & iuſtificatio 18 b
Quid complectatur, quomodo fiat, quæ cauſa iuſtificationis 19 a & b
An agat aliquid noſtra voluntas 19 b
Quæ ſit ſententia dicti, Fide iuſtificamur. 20 a
Sit ne vera propoſitio: ſola fide iuſtificamur. 21 a

De bonis operibus.

Qualia requirãtur, & quę ſint bona opera. 23 a

Cata-

Catalogus bonorum operum ex decalogo. 23 b
Quod maneat in ſanctis peccatum 25 a
Inchoata obedientia ibid
De dignitate & cauſis bene operandi 26 a
Quid noceant mala opera 27 a
An bona opera ſint meritoriæ vitæ æter. 27 b
Quare vita æterna vocetur merces 28 b

Pœnitentia, Contritio.

Quid fides pœnitentiæ pars, & de ea teſtim. 29 a
Timor ſeruilis, Timor filialis. 30 a
De confeſsione & ſatisfactione ibid
Quid ſentiendũ de remiſsione pœnarũ, et an claues poſsint imponere vel tollere pœnas. 31 b
Quid indulgentiæ 32 a

De abſolutione.

An lapſi poſt baptiſmum poſsint conſequi remiſsionem peccatorum 32 b
De locis Epiſtolæ ad Hebræos ibid
An ſit aliquod peccatum irremiſsibile 33 a
Quod ſit peccatum in ſpiritum ſanctum ibid
An omnis lapſus poſt agnitam veritatem ſit peccatum irremiſsibile 33 b
Qui effectus pœnitentiæ ibid

De fide.

Quod fides ſignificet fiduciã miſericordiæ. 34 b
Expoſitio dicti : Iuſtus fide ſua viuet 35 b

Symbolum Apostolorum, Nicenum, & Athanasij 36 37 38

De deo & vnitate dei.

Personæ diuinitatis 38 b
Quid significet: In principio erat verbum 39 a
Spiritus sanctus natura & persona deus 40 a

De Creatione, Creatura.

Quomodo agnoscatur Deus in creaturis & naturis rerum 41 a
Quomodo vtendum sit creaturis 42 a

De humanis viribus, siue de libero arbitrio.

Quantū posſit pręstare voluntas humana. 42 b
An posſit homo aliquid suis virib. pręstare. 43 b
Liberum arbitrium ante & post lapsum 44 a

De prædestinatione.

Loci Scripturæ qui ostendunt promisſionem esse vniuersalem 45 b

De discrimine veteris & noui testamenti.

An desierit vetus testamentum 46 a
Litera & spiritus quid significent 46 b

De abrogatione legis.

An impij sint liberati à lege 47 a

Quæ

Quæ causæ abrogatæ legis, an tota sit abro. ibid
Quare non liceat omittere Decalogum 46 b

De libertate christiana.

Ad quid prosit doctrina de libert. Christi 48 b
Obedientia necessaria, etiamsi potestas abutatur suo iure
Quid de ceremonijs a Christo institutis 49 a

De consilijs in Scriptura.

Consilia in Euangelio an à Christo tradita 49 a

De vindicta.

Vim vi repellere, quid 49 b

De paupertate.

Quotuplex disertio facultatum 50 b

De castitate.

Dictum Pauli: De virginibus præceptum Domini non habeo, &c.
Cur Paulus laudet & suadeat virginitatem & cœlibatum 51 b

De ecclesia.

Quæ hypocritica, quæ vera ecclesia 51 52
Quid sentiendum de excommunicatis 53 a

De

De potestate ecclesiastica.

Quæ sit potestas ordinis, quæ iuririsdict. 53 54
Quid differant potestas ecclesiast. et politica. ib.
Quando acceperit Ecclesia claues ibid
An valeat ministerium malorũ ministrorũ ibid
An debeatur minist. ecclesiarũ obediẽtia 54 b
An etiam in ceremonijs condendis debeatur pastoribus obedientia. ibid

De scandalo.

Scandalum acceptum, scandalũ datum. 55 a & b
Quid agendum sit in rebus indifferentibus. ibid
Quæ cauẽda in ecc. ne suboriantur scanda. 56 a

De Sacramentis.

Quot sacramenta, sint ne alia sacramenta. 56 b
Quomodo varient sententiæ de sacramẽtis. 57 a
Cur Christus instituerit sacramenta 57 b

De baptismo.

Vbi & ad quid institutus, quid significet baptismus 58 a
Quis vsus. An posit baptismus iterari 58 b
Quid intersit inter baptismũ Ioan. & Ap. ibid

De baptismo paruulorum.

Testimonia quod infantes sint baptizandi. 59 a
Refutatio obiectionis Anabaptistarum 59 b

De cœna domini.

Quibus nominibus vocetur Sacramentum Cœnæ Dominicæ 60 a
Verba Cœnæ Dominicæ ibid
Quis ſit vſus ſalutaris huius Cœnæ 60 b
Quid interſit inter ſacramentũ & ſacrificiũ. 61 b

De ſacrificijs.

Quid ſacrificium propitiatorium ibid
Quid ſacrificium Eucharisticum, ſeu laudis. 62 a

De cruce & afflictionibus.

Quæ conſolatio in cruce & afflictionibus. 62 b
Quæ vera patientia 69 b
Quid mali adferat impatientia 64 a

De humiliatione.

Humiliatio quid 64 a

De oratione.

Quid oratio 64 b
Quot requirantur ad inuocationẽ ſeu prec. ibid

De oratione dominica.

Breuis expoſitio orationis dominicæ 66 b

De Magiſtratu

Quid tyrannus 67 a

Infundetur Magistratus in scripturis sanct. ibid
An Magistratus sit ordinatio Dei 67 b
Quod non sit res mala, etiamsi multi mali rapiunt imperia. ibid
In quas res debet respicere Magistratus ibid
Quid debeat Magistratus subditis 68 b
Quid debeant subditi Magistratibus 69 a
An potestas Magistratum sit infinita 69 b
Quid agendum si pręcipiunt aliquid contra ius diuinum ibid
An placent Deo opera ista politica 70 a
Quod falso hypocrytæ euehāt opera mon. 70 b

De politia Ecclesiastica.

Politiæ Ecclesiasticæ partes quot 71 a

De Matrimonio.

Quid agendum in Matrimonio 72 a
Quid ferendum, Quæ crux coniugij ibid
An posſit initum Matrimonium solui. 72 b
Quæ sint seruanda circa Matrimonium ibid
An coniugium omnibus sit liberum ibid

De inuocatione Sanctorum.

Quomodo colendi sint Sancti. 73 b

De imaginibus.

An imagines in Ecclesia tolerandæ & honorandæ 74 b

Gregorius vocat imagines laicorum libros. 75 a
Reliquiæ Sanctorum 75 b

De sepultura mortuorum.

Vnde orta sepultura 76 a
Quomodo celebranda sepultura 76 b

De resurrectione mortuorum

Testimonia de resurrectione mortuorum. 77 b
An resuscitandi sint omnes homines pariter boni ac mali 78 b
Testimonia quod etiam impij cum corporibus sint resurrecturi ad supplicium ibid
Quomodo futura sit resurrectio 79 a
Typus nostræ resurrectionis in creaturis 79 b
Quid illi, quos vltimus dies reperiet in carne viuos ibid

De consummatione seculi, et iudicio extremo, siue die domini.

Quotuplex est aduentus Christi 80 a
Quomodo venturus ad iudicandū Christus. ibid
Cur iudicaturus ibid
Quis ordo extremi iudicij 80 b
Quæ præcedent ibid
Quæ fient ipso die ibid
Quæ sequentur ibid
Possit ne sciri hora & dies iudicij ibid

De vita æterna.

Quid sit vita æterna 81 a
Quæ mors æterna ibid
Quis promiserit vitam æternam ibid
Quibus ibid
Qui sint effectus vitæ çternæ 82 b

FINIS.



